DISPUTATIO LITERARIA
INAUGURALIS

DE

PISISTRATIDARUM TYRANNIDE.

Macquelyn, Michael Jacobus

DISPUTATIO LITERARIA INAUGURALIS,

DE

PISISTRATIDARUM TYRANNIDE.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

MICHAËLIS JACOBI MACQUELIJN,

MED. DOCT. ET PROF. ORDIN.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS
HUMANIORIBUS

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

PETRUS GULIELMUS FERDINANDUS JUNIUS,

HARLINGÂ — FRISIUS.

AD DIEM XXVI SEPTEMBRIS MDCCCXXIX, HORA XII — I.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG, JUNIOREM.

MDCCCXXIX.

VIRIS CLARISSIMIS

JANO BAKE,

JUR. UTR. DOCT. PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM.
DOCT. IN ACADEMIA LUGDUNO - BATAVA
PROFESSORI ORDINARIO.

PETRO HOFMAN PEERLKAMP,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. IN ACADEMIA
LUGDUNO - BATAVA PROFESSORI ORDINARIO.

WESSELO ALBERTO VAN HENGEL,

S. S. THEOL. DOCT. IN ACADEMIA LUGDUNO - BATAVA
PROFESSORI ORDINARIO.

JACOBO GEEL,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. PROFESSORI
HONORARIO. BIBLIOTHECAE IN ACADEMIA
LUGDUNO - BATAVA PRAEFECTO.

SACRUM.

PRAEFATIO.

Ab ineunte inde aetate Literarum, quae ab humanitate nomen habent, magno quum arderem studio; postquam prima, quae requiruntur, disciplinarum elementa summis labiis degustaveram, in Gymnasium, quod hac in urbe est florentissimum, delatus sum a patre dilectissimo, desideratissimo. Ibi primis imbutus tirociniis, in Doctissimi Viri F. A. BOSSE *perveni disciplinam. Cujus dubito doctrinam multiplicem, an singularem juvenum instituendorum rationem admirer potius, majoribusque laudibus efferam. Hic saltem fuit qui omnem mihi eamque regiam Scriptorum quum Graecorum, tum Romanorum interpretandorum rationem monstraret*

ita

ita, ut, modo ingenii felicitas, judicii acumen, majorque virium intentio adfuisset, ad majorem augustioremque Literarum cognitionem me pervenire potuisse persuasum mihi habeam. Tali igitur praeceptori, qui diu incolumis Literis et Juventuti servetur ex animo opto, justas et debitas nisi egerim gratias, ingrati animi merito argui posse viderer.

Hinc satis instructus in Clariss. duumvirorum, BAKII *et* PEERLKAMPII *scholas perveni, quorum illum Literas Graecas, hunc Latinas et Historiam explicantem audivi. Eaque institutio eum, quo ardebam, Literarum amorem, in primis Graecarum ita excitavit et confirmavit, ut, eo jam quum pervenissem, progressuum meorum specimen ut ederem, aliquam Graeci scriptoris partem edendi consilium caperem. In magno autem Graecorum, eorumque bonae frugis Scriptorum numero, quem interpretandum sumerem, quum nescirem; eundem Virum Doctiss.* BOSSE, *ut consulerem, adii. At morbo laborantem, in lectoque decumbentem inveniens, scripto postea omnem mearum deliberationum rationem ei exposui. Ad quae, pro solita sua humanitate, gratissimas mihi dedit literas, quarum particulam, pace viri doctissimi, ut omnes sciant quanti praeceptoris fecerim praecepta, hic describam, aliis, quae huc non pertinent, omissis. — » Propterea*

» *equi-*

» *equidem tibi auctor sim, mi Juni, ut potius* » *progressuum tuorum specimen edas in interpretanda atque expolienda aut oratione Isocratea,* » *uti fecit* BERGMANNUS, *aut Ciceroniana, uti plurimi fecerunt. Ejusmodi argumentum mihi certe* » *prae reliquis maxime placet: habet enim, quod* » *vere laudabat Horatius,* utile dulci, *estque juvenili scriptori prorsus aptum atque accommodatum.*" *Ejusmodi fretus responso Isocratem, haud plane mihi incognitum, arripiebam, legebam, excerpebam, cum aliis ex Oratoribus Atticis conferebam, hic illic meas, qualescunque tandem, animadversiones scripto mandabam; ut sic aliquando alterutram hujus scriptoris orationem vel* περὶ Εἰρήνης *vel* πρὸς Φίλιππον *publici juris facerem. At, eheu! qualis huic proposito respondit eventus? Biennio abhinc Clariss.* PEERLKAMPIUS *Isocrateam illam* περὶ Εἰρήνης *orationem in Germania Moguntiae* 1826. *cura Doctiss.* LE LOUP *prodiisse mecum communicabat. Primum nihil aliud mihi superesse existimans, quam ut alteram* πρὸς Φίλιππον *illam tractarem; etiam in his spes mea fefellit: vix enim in manus venerat hic libellus, quin illam alteram brevi orationem secuturam esse, magno cum dolore ex praefatione viderem. Ex reliquis hujus Oratoris orationibus quum nulla, quae disputationi Academicae conveniret, apta atque accommoda-*

ta mihi videretur esse; opus ad dimidium fere perductum plane intermittere, aliudque mihi argumentum quaerere placuit. Et brevi, monente Cl. BAKIO, *Promotore aestumatissimo, reperiebam aliud. Prodierat nimirum in Germania item* Disquisitionis de Tribubus Atticis earumque partibus specimen *auctore* E. C. ILGENIO, BOECKHII *discipulo. In quo quum multa, quae reprehenderentur, occurrebant; suasit mihi optimus* BAKIUS *ut diligentius hanc materiam de novo tractarem et elaborarem. Sed tum ne acta agere viderer, tum ob caussas, quas hic memorare longum sit, etiam hanc de manibus deposui. Tertio igitur, at cautius quaerens, aliud quod ab initio prae caeteris mihi placuit, adgrediebar argumentum, quo* Pisistratidarum tyrannis *spectaretur.*

Quam autem viam in hac componenda ingressus fuerim, paucis exponere mihi visum est.

Tripartitam institui disputationem, quarum in prima ipsa Pisistrati tractatur historia, in altera, etsi ceteroquin hoc nomine etiam patrem intelligimus Pisistratidarum exponuntur res gestae; in parte tertia, qualis tempore Pisistratidarum conditio fuerit Literarum, breviter indicatur.

At, ut his etiam occurratur, qui Meursii libellum Pisistrati *nomine inscriptum, exstare ideoque supervacuam esse nostram scriptionem dicant; haud intercedo primum intuentibus ita videri, sed saepius cogitan-*

tanti, quum Literarum conditio potior dissertationis pars sit habenda, necessario aliquid de Pisistrato ejusque filiis esse praemittendum; ideo hoc opus suscipere mihi visum est; in primis quod imperii forma, mores, et omnis omnino quum publicarum tum privatarum rerum cura cum humanitatis illa et Literarum conditione quasi vinculo arctissimo esset conjuncta. In multis itaque Meursium sum secutus, in multis etiam, cur ab eo dissentirem habebam. Est nimirum Meursii Pisistratus ita comparatus, ut, ulteriori inquisitioni qui materiam praeberet, videretur mihi accommodatus: exemplum, ut verbis fidem faciamus, allegasse suffecerit Meursii Caput XI, in quo docta quidem, attamen multis erroribus referta instituitur disputatio de quaestione, utrum Hipparchus an Hippias natu major fuerit. *Quae minus nobis quum placuerit, nos novis muniti subsidiis a Meursio diversam plane ingressi sumus viam, et nisi veritati, probabilitati saltem majori accessisse nos affirmare non dubitamus.*

Nec tamen quisquam hoc argumentum ita a nobis elaboratum putet, ac si omne dubium sit sublatum; contra, multa in eo reperiri posse lubens fateor, in quibus exponendis ne ipse quidem mihi satisfacere potui. In his igitur B. L., si quo hic libellus plane indignus non reperiatur, ob oculos

  los

los habeat velim, omnem hanc, qualemcunque etiam, argumenti dispositionem, nonnisi subcesivis, quae dicuntur horis confectam, aliquam inventuram esse excusationem. Et haec sunt quae praemonenda habebam; nam reliquorum, quae praefationis locum occuparent, in ipsa dissertatione facienda erit mentio.

His igitur praefandi finis esset ponendus, nisi aliud et gratum et pium muneris mihi superesset officium, ut nimirum vobis V. V. C. C., quos in singulis disciplinis praeceptores mihi nancisci contigit, palam grati animi indicia significarem pro singulari et egregia, qua per quinquennium usus sum, vestra institutione ac disciplina. Ex vestro numero principe certe loco mihi compellandi estis Praeceptores carissimi BAKE, *et* PEERLKAMP. *Ut enim in vestram utriusque perveneram disciplinam, ea me amplexi estis cura, studio, benivolentia, favore; quin etiam iis me prosecuti estis amicitiae documentis, ut, vos nisi habuissem, haud scio an nunquam eo, quo sum loco, me perventurum sperare potuerim. Ad vos igitur omnia, quibus gaudeo, relata velim. Vos unos (cur diffitear) fortunae meae auctores esse ducam. Accipite ergo quum pro singulari, qua me docuistis, institutione et publica et privata; tum pro consiliis quae sincere mecum communicastis, omnes, quas*

sol-

solvere par est, grates. Et Deus O. M., supplicis mea verba si exaudiat, utrumque vestrum diu servabit incolumem patriae, literarum, Academiae causa. Vos vestramque domum ad grandem vegetamque pervenire sinat senectutem. Haec ex intimis animi praecordiis manasse vobis persuasum ut sit, unicum est quod spero.

Ad te quoque, Cl. VAN HENGEL, *eadem ut referam facit familiaris usus quo per biennium fere mihi frui licuit, benivolentia qua me tractasti, quin etiam plurima amicitiae documenta, quibus me huc usque es prosecutus. Serveris diu patriae, literis, ecclesiae in primis familiae tuae ex animo precor!*

Haud minori etiam mihi est voluptati salvos omnes et incolumes vos compellare posse V. V. C. C. quibus praeceptoribus et fautoribus uti mihi licuit: VAN DER PALM, SIEGENBEEK, NIEUWENHUIS, HAMAKER, REUVENS, GEEL. *Et, si discipulum decet palam gratum testari animum, vobis certum sit me scholarum, quibus usus sum, obliturum esse nunquam, admonitiones, consilia et favoris documenta quibus me estis prosecuti, grato semper animo retenturum.*

Reliquarum quoque, quibus aliquantum studii impenderim, disciplinarum Praeceptores TYDEMAN, VAN ASSEN, SPYERT VAN DER EYK, DE GELDER, UYLENBROEK,

nec

nec non vobis viri doctissimi VAN KAMPEN, BERGMAN *singulis vestrum debitae ut referantur grates ipsa hujus diei requirit solemnitas. Nam temporibus si videtur tribuendum, me vestra in disciplina diutius versari non potuisse; omnes tamen, quos inde percepi utilitatis fructus ad vos unice relatos velim, et animi sensum pro omnibus his benivolentiae signis ut aperirem, hunc diem diu mihi ob oculos versatum fuisse ex animo fateor. Pergite, quaeso, ut facitis, omnes ea me meosque prosequi benivolentia, atque favore, quo me huc usque ornastis; et in praecipuo officio habiturus sum talem me praestare, ut vestra ex disciplina discipulum me prodiisse obliviscar nunquam.*

INTRODUCTIO.

In rerum natura nihil quum sit firmum et stabile, sed mutationibus atque vicissitudinibus modo majoribus modo minoribus subjiciantur omnia, in hominum natura qui perfecti quid quaerere velit, nemo reperitur. Indolem enim et naturam hominis si spectamus, rerum ab eo gestarum rationes si perpendimus, a vicissitudinibus et mutationibus pleraque pendere, et in earum quasi potestate posita esse, manifesto perspicitur. Neque aliter civitatum, quae ab homine conduntur, atque imperiorum quae gubernat, comparata est ratio: nam haud scio an nulla reperiatur civitas, quae mutationibus non turbata, aut imperium quod vicissitudinibus non fuerit obnoxium. Historiae saltem si evolvimus libros, evidentissimis confirmatur hoc testimoniis, omnisque antiquitatis non modo, sed nostri etiam temporis convincitur exemplis. Et haec nisi suffecerint, sola Graecia, una Athenarum respublica, quamdiu viguerit, cla-

rissima nobis exhibere possit exempla. Omnem singularum Graeciae civitatum historiam et fata contemplantes, incolarum mores et indolem perspicientes, quin ea, quae diximus, in eas referri possint, non dubitamus. Constat enim Graecos, hanc unam omnium populorum ex antiquitate gentem celebratissimam, etiam hoc in primis nobilitatos fuisse, quod gravissimas semper maximasque mutationes eorum reip. ordinandae ratio subierit, multumque hae ad interitum eorumque perniciem accelerandam contulerint. Videmus autem apud alias civitates regalem locum habuisse potestatem, apud alias populare plane vigere imperium, apud alias, quae utriusque excederet fines, tyrannicam dominandi formam. At, quod magis mirum, in Graecorum historia exstiterunt quoque tempora, quibus nisi per universos, per nonnullas tamen Graeciae partes, quasi rerum ferret ordo, unam eandemque florere videmus imperii formam, sive monarchiam vel tyrannidem, seu populare vel paucorum imperii genus. De tyrannide, caeteras ut mittamus, qui affirment, non desunt. Ita Thucydides, gravissimus auctor, in brevissima, qua opus suum adgreditur, Graeciae descriptione, tali modo de ea loquitur: *Δυνατωτέρας δὲ γενομένης τῆς Ἑλλάδος καὶ τῶν χρημάτων τὴν κτῆσιν ἔτι μᾶλλον ἢ πρότερον ποιουμένης, τὰ πολλὰ τυραννίδες ἐν ταῖς πόλεσι καθίσταντο, τῶν προσόδων μειζόνων γιγνομένων· πρότερον δὲ ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι κ. τ. λ.* (1).

---

(1) Cf. Thuyd. I, 13. Attamen haec verba ita ne explicentur ac

Haec autem ipsa Thucydidis verba satis magni momenti nobis quum sint visa, ulteriori inquisitioni ut subjicerentur; haud inutile erit, antequam ad Pisistratidarum transeamus tyrannidem, universe quaedam, et proöemii instar, de hac imperii forma, qualis in Graecia fuerit, praemonere.

Constat temporibus antiquissimis ubique fére in Graecia viguisse ejusmodi imperii formas, quas *βασιλείας πατρικὰς ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι*, ut modo vidimus, vocat Thucydides. Hae mox finito bello Trojano, quum interim turbis factionibusque essent labefactatae, revertentibus singularum principibus, in democratias dissolvebantur; inque paucorum vel potius nonnullarum familiarum potestatem omnis transferebatur rerum cura. Neque etiam harum, ut fieri plerumque solet, stabilis et diuturna fuit conditio: successit huic illud imperii genus, quod vulgo tyrannidis nomine insigniri videmus, quodque uno eodemque fere tempore in Graecia maximam partem viguit. Ita Corinthi offendimus Cypseli ejusque filii Periandri tyrannidem, Thrasibuli Mileti, Proclis Epidauri; tyrannidem in singulis civitatibus exercentes videmus Pisistratidas Athenis, Polycratem in insula Samo, Lygdamin et Hegesistratum hunc Sigei, illum in insula Naxo;

---

si ex regia potestate hereditaria *continuo* tyrannis orta sit: *πρότερον* latius patet et hanc sententiam efficit: *Monarchiae exstitit ea species quae dicitur tyrannis; quum olim ea ejus species in Graecia frequentaretur, quae contineretur regia hereditaria potestate certis honoribus definita.* Vid. Wyttenb. cujus haec ipsa est verborum interpretatio in Annot. ad Selecta Princip. Historic. pag. 361.

tyrannidem affectasse legimus Sicyone Orthagoram, Megaris Theagenem; multosque alios, quorum nomina referre longum sit, quaeque, si quis cognoscere cupiat, passim ab Aristotele commemorata reperiet. Ex his tamen unius Cypseli Periandrique tyrannidem, ut inde de caeteris, in primis Pisistratidis judicium feratur, breviter recensebimus.

Verissima est Aristotelis sententia cum dicit: Γίγνονται μὲν οὖν αἱ στάσεις οὐ περὶ μικρῶν ἀλλ' ἐκ μικρῶν· στασιάζουσι δὲ περὶ μεγάλων. Μάλιστα δὲ καὶ αἱ μικραὶ ἰσχύουσιν, ὅταν ἐν τοῖς κυρίοις γένωνται (1). Nam singularum, quas recensuimus modo, tyrannicarum formarum caussas unde exstitêre, rationes unde vim accepêre, si consideramus; haud scio an nulla sit, quin ex hac sententia dijudicetur, nulla quin ex eâ ipsa etiam ejus hauriatur notitia. Cypselum ejusque filium Periandrum, ut, quae diximus, exemplo illustremus, Corinthi tyrannidem excercuisse vidimus, quae, hujus civitatis si spectamus historiam, ex ejusmodi caussarum rationibus ortum traxerit necesse est. Nam Heraclidae ex Aletes familia per novem quum regnassent aetates (γενεὰς) alia eaque potentissima Bacchiadum familia post Telestes mortem, ut communiter gereret, rerum potita est (2). At, duabus in primis de caussis Corinthiis odiosi quum essent facti, primum quod mutuis turbis, ex ipsa Bacchiadum familia explicandis (3), discordem redderent civitatem, de-

(1) Aristot. Polit. V, 3. §. 1. Schneid.

(2) Pausan. II. cap. 4. §. 3. seq. Edit. Stereot.

(3) Cf. Herod. V, 92. ubi omnes turbas in hac familia exortas exponit.

inde quod insolenti nimis et crudeli, verae tyrannidis instar, dominandi ratione opprimerent populum, in primis tenuiores; Cypselus, populi ductorem se professus, eos sustulit, rerumque administrandarum suscepit curam.

Et revera est haec Democratiarum vulgaris ratio atque conversio, ut tandem unus aliusve, plerumque tamen prudentia, sagacitate et gloria militari insignis, populi favorem sibi conciliare, praesentemque imperii formam tollere sciat, quod egregie idem docet Aristoteles: Ἐπὶ δὲ τῶν ἀρχαίων, ὅτε γένοιτο ὁ αὐτὸς δημαγωγὸς καὶ στρατηγὸς, εἰς τυραννίδα μετέβαλλον· σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν ἀρχαίων τυράννων ἐκ δημαγωγῶν γεγόνασιν. Αἴτιον δὲ τοῦ τότε μὲν γίγνεσθαι, νῦν δὲ μὴ, ὅτι τότε μὲν οἱ δημαγωγοὶ ἦσαν ἐκ τῶν στρατηγούντων· οὐ γάρ πω δεινοὶ ἦσαν λέγειν· νῦν δὲ τῆς ῥητορικῆς ηὐξημένης οἱ δυνάμενοι λέγειν δημαγωγοῦσι μὲν, δι' ἀπειρίαν δὲ τῶν πολεμικῶν οὐκ ἐπιτίθενται, πλὴν εἴπου βραχύ τι γέγονε τοιοῦτον (1). Horum Demagogorum, ut Aristoteles eos vocat, rationes, actiones, res gestas si spectamus, interdum nobis venit in mentem, quid tandem in caussa fuerit, cur male adeo audiverit tyrannidis forma. Neque enim hanc opinionem recentiori tantum tempore, sed vel antiquissimo quoque, (nisi forte Homeri aetatem excipiamus) hominum animis obversatam fuisse Herodotus nos multis exemplis docere possit. Ubique fere in ejusmodi imperii formam, multo etiam gravius in eos, qui constituerunt, invehitur; quare, nisi caussarum rationes, cur fecerit, nobis cognitae

(1) Aristot. l. l. Cap. 4. § 4.

essent, de fide ejus historica merito dubitare possimus (1). Etiam nostro tempore magna hominum pars, praejudicata plerumque opinione, eam fugiendam, omnique ratione tollendam esse censet, quod gravissimas saepe inde calamitates gigni, quin etiam interdum regna, ejusmodi vigente imperii forma, labefactata et plane sublata viderit. Neque nos haec eam ob caussam disputavimus, quasi omnibus eam vitiis immunem, nullisque maculis inquinatam esse velimus, contrarium enim saepe docemur, sed tantummodo quod eam, ut plerosque facere videmus, abjiciendam adeo atque vituperandam nobis animo informare non possumus. Nulla certe cogitari potest Civitas, nulla ejus gubernandae ratio quin, ut malas plerumque, bonas tamen etiam habeat partes: neque aliter tyrannidis, in primis ejus quae in Graecia floruit, comparata est ratio. Nam Aristoteles, quem in his magna pro parte ducem secuti sumus, etiamsi hanc formam minime probare (neque tamen etiam plane abjicere) videatur; distinguendum certo censet inter varias caussas, ex quibus singulae tyrannides sint dijudicandae; et ad quarum optimam

---

(1) Cf. Clavier *Histoire des Prem. Temps de la Grèce* II. pag. 272. Qui Aristotelis auctoritatem hac in parte pluris aestimandam esse censens ita loquitur. *D'un autre côté, l'éloge qu'en fait Aristote, en disant que ses prédécesseurs et lui gouvernèrent avec beaucoup de modération, et s'asservirent presque toujours aux lois, ne permet pas de croire qu'il se soit livré à des actes de despotisme aussi absurdes que ceux que lui prête Hérodote, contre les récits duquel il faut toujours être en garde toutes les fois qu'il s'agit des rois ou des tyrans de la Grèce, qu'il cherche à déchirer, pour plaire aux Athéniens qui avoient en horreur l'autorité monarchique, quelque légitime et modérée qu'elle fût.*

procul dubio pertinet ea, de qua nunc agimus. Ipsos hujus formae imperii auctores quod attinet, in omnes fere, uno alterove excepto, ea referri posse putamus, quae diligentissimus Politiarum scriptor in uniuscujusque Civitatis principe et gubernatore ut requirantur necessaria judicat. Verba quae ejus produnt sententiam haec sunt: *Τρία δέ τινα χρὴ ἔχειν τοὺς μέλλοντας ἄρχειν τὰς κυρίας· πρῶτον μὲν φιλίαν πρὸς τὴν καθεστῶσαν πολιτέίαν, ἔπειτα δύναμιν μεγίστην τῶν ἔργων τῆς ἀρχῆς, τρίτον δ' ἀρετὴν καὶ δικαιοσύνην, ἐν ἑκάστῃ πολιτείᾳ τὴν πρὸς τὴν πολιτείαν· εἰ γὰρ μὴ ταὐτόν τὸ δίκαιον κατὰ πάσας τὰς πολιτείας, ἀνάγκη καὶ τῆς δικαιοσύνης εἶναι διαφοράς* (1).

Haec autem ulterius explorare, et ad singulorum sive Cypseli sive Periandri aliorumque facta et mores accommodare necessarium esse non putamus, quum tantum excitaverimus, ut nostra quae sit sententia de Pisistratidarum et universe de tyrannorum illius temporis imperio, quaque ratione dijudicetur, ostenderemus. Cujus antequam contemplandi faciamus initium, haud inutile nobis visum est, ut primum, quae Athenarum sub Solone fuerit conditio, quaeque illo tempore viguerint factionum genera, indicaremus atque exploraremus.

---

(1) Aristot. Politic. V, Cap. 7. § 14.

PARS I.

PISISTRATI HISTORIA.

CAPUT I.

DE CONDITIONE ATHENARUM SUB SOLONE.

Ex despotica fere Nobilium imperandi ratione, qua hi omnia ex arbitrio gerentes civitatem administrabant, et tyrannorum instar plebem non tantum, sed universum etiam populum premebant, vexabant, et ad audacia saepe et petulantia quaevis excitabant, cum subinde graves ὑπὲρ τῆς πολιτείας (1), ut ait Plutarchus, exortae essent dissensiones et turbae, quibus molestum Eupatridarum imperii jugum, quamvis infelici semper successu, exuere vellent infimi; prodiit tandem, anno circiter 600 a. C. N. Cylon, vir et generis nobilitate et nominis laude clarus, qui severae Reip. administrationis pertaesus, verae Aristocratiae firmiter jam posita labefactare tentasset fundamenta, nisi ipse, populi temeritate et levitate agitatus ac deceptus, fato succubuisset. Nam ipse ἀνὴρ ὀλυμπιονίκης, τῶν πάλαι εὐγενής τε καὶ δυνατός (2), nulla alia cum duceretur caussa, quam ut ipse sibi summam imperii vindicaret, non tantum sibi oppositam Alcmaeonidarum partem, penes quam, ut ditissimam

(1) Cf. Plutarch. in Vita Solon. Cap. 13.
(2) Thucyd. I, 126.

summisque magistratibus ornatam, summa rerum erat cura; verum infimam quoque, eandemque optimatibus haud faventem populi partem, in qua omnem spem posuerat, inimicam reddidit, et sic iterum civitas, unius viri conatibus frustrata, gravissimis dilaniabatur factionum discordiis (1). Nobiles tamen clandestina factionum consilia, et sub cinere quasi latentes futurae conjurationis scintillas perspicientes, adeoque de totius reip. immutatione solliciti, in populi in primis infimae classis gratiam, et favorem, simulque novarum factionum sedandarum gratia, res immutari quodammodo cupiebant, Solonemque unum hujus immutationis auctorem ante oculos habebant omnes, ut narrat Plutarchus, cujus verba, horum temporum justam cum contineant descriptionem, huic loco inseremus: » Ἐνταῦθα δὴ τῶν Ἀθηναίων οἱ φρονιμώτατοι, συνορῶντες τὸν Σόλωνα μόνον μάλιστα τῶν ἁμαρτημάτων ἐκτὸς ὄντα, καὶ μήτε τοῖς πλουσίοις κοινωνοῦντα τῆς ἀδικίας, μήτε ταῖς τῶν πενήτων ἀνάγκαις ἐνεχόμενον, ἐδέοντο τοῖς κοινοῖς προσελθεῖν, καὶ καταπαῦσαι τὰς διαφοράς (2).

Solon igitur Archontis dignitatem, quam, Cyloneis et Megaclidis graves dissensiones agitantibus, tenuisse non videtur, adeptus non tantum est, verum etiam gravissimis Reip. temporibus, idque communi omnium civium consensu, factus est διαλλακτὴς καὶ νομοθέτης (3). In nonnullorum tamen reprehensionem Solonem in-

(1) De infelici Cylonis, sociorumque exitu, ut et de diversis factionum generibus, quippe hic loci minus congruenter fieri potest, amplior infra (Cap. II.) nobis erit disputandi locus.

(2) Solon. Cap. 14. init.

(3) Solon. ibid.

cidisse confici potest ex Aristotele, qui eum contra istos defendere videtur, qui a Solone nimiam populo potestatem tributam esse putarent, idque magis casu quodam quam Solonis voluntate accidisse ostendit: Φαίνεται δ' οὐ κατὰ τὴν Σόλωνος γενέσθαι τοῦτο προαίρεσιν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπὸ συμπτώματος (1). Nobis tamen, quidquid hac de re in utramque partem disputetur, haec reprehensio adeo injusta non videtur esse, cum ex omni ejus ordinatione perspicue pateat eum in populi robore omnem spem posuisse.

Magistratus initium duxit a foenoris imminutione, quod intolerabili Nobiles avaritia turpique lucri cupidine a tenuioribus exigebant, eamque σεισάχθειαν appellabat honesto nomine, nam agrariam legem, quam exspectaverant quidem tenuiores, non tulit Solon (2). Mox, rei utilitate perspecta, majora Soloni commissa sunt, totamque reip. formam ut ordinaret; magistratus denique, conciones, tribunalia, concilia, utque horum omnium et censum et numerum et tempus definiret; tum de praesentibus legibus abrogaret, aut servaret quas vellet: primum igitur sustulit Draconis leges, praeterquam quae de caede erant (νόμοι φονικοί) (3). Caeterum, quam paucis verbis complectitur Aristoteles disciplinam

---

(1) Aristot. Politic. II, Cap. 9. §. 3.

(1) Plutarch in Solone Cap. 14 et 15. Semel monuisse suffecerit nos in hac parte, si pauca exceperis, fere ubique secutos esse Plutarchum, quippe qui magno cum acumine, judicio, et veritatis studio totam Athenarum descriptionem memoriae prodidisse videtur.

(2) Solon: Cap. 17. Quippe ceterae, ut Aristoteles Politic. II, 9, 9 jam observavit, πολιτείᾳ ὑπαρχούσῃ latae, parum utilitatis afferre poterant.

reip., Solonem constituisse populi imperium, sed temperatum illud, quippe in Areopago paucorum valeret auctoritas, in Magistratibus a populo creatis optimatium, in Tribunalibus denique multitudinis (1), eandem copiosius persequitur Plutarchus: veluti Magistratus (*ἀρχὰς*), quo nomine omnem in rep. administranda sive domi sive foris potestatem intelligit, cum relinquere vellet ditioribus, sicut erat ante ipsum, induxit censum (*ἔλαβε τὰ τιμήματα*) pro mensura siccorum et humidorum, quae quis possideret, indeque ortae sunt quatuor civium classes: quam Solonis divisionem ante oculos ut habeamus, ipsa Plutarchi verba proferre placet. *Μέτρα πεντακόσια ποιοῦντας πρώτους ἔταξε, καὶ πεντακοσιομεδίμνους προσηγόρευσε — δευτέρους δὲ τοὺς ἵππον τρέφειν δυνάμενους (τοὺς ἱππάδα τελοῦντας) — ζευγῖτας δὲ τρίτους — οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἐκαλοῦντο θῆτες* (2). Ex his postremi a muneribus excludebantur, sed remp. gerebant jure suffragii in concionibus et tribunalibus (3): quod paulatim incredibile

(1) Aristoteles Politic. II, 9, 2. *Εἶναι γὰρ τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν ὀλιγαρχικὸν, τὸ δὲ ἀρχὰς τὰς αἱρετὰς ἀριστοκρατικὸν, τὰ δὲ δικαστήρια δημοτικόν.*

(2) Plut. in Sol. 18. Ab hac omnium etiam gravissimorum scriptorum distributione deflexisse videtur Aristoteles Polit. II., 9, 4. qui *ζευγῖτας* altero post *πεντακοσιομεδίμνους*, *ἱππέας* tertio ab his loco posuit: minus recte, quippe omnium scriptorum auctoritati adversatur, ut ostendit Cl. Böeckh. in opere praeclaro german. scripto: *Staatshaush. der Athener*, qui in primis hic consulendus est, quippe omnem hanc quadripertitam civium divisionem dedita opera exponit. (lib. IV. §. 5. pag. 28. seqq).

(3) Plutarch. l. c. 18. Ceterum non amplectenda videtur sententia Doct. Ilgenii, qui distinguendum censet antiquos inter et recentiores Thetes: minus recte: una enim eademque hominum classis est, qui servili, neque media servitutem inter et libertatem utentes conditione plane a ditiorum arbitrio et libidine pendebant. Plutarchi quoque verba *Χρέα λαμβάνοντες ἐπὶ τοῖς σώμασιν, ἀγώγιμοι τοῖς δανεί-*

dictu est quantopere auxerit multitudinis vires, quum ab omnibus judiciis, quae singulis permittebantur magistratibus, provocare ad populare tribunal (εἰς τὸ δικαστήριον ἔφεσις) liceret. Nimirum in populi robore praecipuam spem putabat Solon stabiliendae confirmandaeque civitatis; cumque diuturno potentium imperio reliqua fere multitudo abjecta vixisset, ut tantum non omnem patriae caritatem exuerent, legibus quibusdam cavit, ne interiret penitus civium virtus: ex duabus illis mediis civium classibus exercitus cum pedestres, tum equestres deligebantur, cum Thetibus ne militiae quidem nomen dare licitum erat: interdum etiam ex his, quas diximus, classibus, in summa morum castitate et integritate, magistratus minores, qui dicuntur, eligebantur: quippe summorum honorum magistratuumque munus, ut Archontis et Areopagitae, semper penes primam civium classem remansit (1).

Hac igitur civium divisione reliquis reip. gerendae muneribus superstructis, sibique persuasum habens, in imperio populari, libertati cuidam moderatae, prudentibus legibus, summisque magistratuum dignitatibus obnoxiae necessario locum esse debere, primum Areopagiticum Senatum (τὴν ἄνω βου-

---

ζουσιν ἦσαν, οἱ μὲν αὐτοῦ δουλεύσοντες, οἱ δ' ἐπὶ τῇ ξένῃ πιπρασκόμενοι, quae affert vir Doct. de Thetum discrimine, nostram potius sententiam confirmare videntur; ipseque Ilgenius suae sententiae adversans hoc testatur dicens. » *Talem vero ejusmodi conditionis ordinem (Thetum) non potuisse ipsa Solonis aetate aut paulo ante oriri, sed pristinum esse, et inde a principali civitatis forma remanens institutum illa aetate antiquatum potius, quam natum patet.*" Cf. Disquisitionis de Tribubus Atticis Specim. pag. 39. seqq.

(1) Cf. Clarissim. Wachsmuth Hellen. Altherthumk. Cap. V. §. 46. pag. 256.

λήν) sive instituit, sive jam antiquitus institutum confirmavit, et ex iis qui Archontis munere functi jam erant, composuit (1). In hujus autem Senatus ordinandi ratione, quum antiquitus dubium jam esset, quae Solonis fuerint partes; Plutarchus neque postremam rejicit sententiam, neque quidquam est, quod priorem magnopere commendet: Aristoteles eorum sequi videtur opinionem, qui Areopagum, cum antea esset, ab eo confirmatum putent: Ἔοικε δὲ Σόλων, ἐκεῖνα μὲν ὑπάρχοντα πρότερον οὐ καταλῦσαι, τήν τε βουλὴν, καὶ τὴν τῶν ἀρχῶν αἵρεσιν· κ. τ. λ. (2). Verum populo etiam ultra tumenti, et debitorum remissione exsultanti ut frenum injiceret Solon, alterum quadringentorum instituit Senatum, ex singulis Tribubus centum viris electis, quibus, omnibus reip. negotiis jam antea consideratis, tum demum ad populi concionem referre licitum erat. Οἰόμενος ἐπὶ δυσὶ βουλαῖς ὥσπερ ἀγκύραις ὁρμοῦσαν ἧττον ἐν σάλῳ τὴν πόλιν ἔσεσθαι, καὶ μᾶλλον ἀτρεμοῦντα τὸν δῆμον παρέξειν (3). De reliquis autem magistratibus utpote maximam partem cum duobus, quos modo recensuimus, conjunctis et ab iis pendentibus, de Archontibus, ut et de Tribunalibus Palladio, Delphinio, Prytaneo, Phreatto, Heliaea aliis, non est quod dicamus: dicendum

---

(1) Plutarch. Solon. Cap. 19.

(2) Aristotel. Politic. II, 9, 2. Edit. Schneid. — Unde etiam manifestum est, quum ante Solonem nullus fuerit Senatus populi, hunc ab ipso constitutum opponi ταῖς ἀρχαῖς: Schoemannus quoque in prooëmio operis *de Comitiis* pag. 14. non vidisse videtur Βουλὴν in Aristotele intelligendum esse Senatum Areopagiticum; itaque per errorem vir doctus agit de Senatu quodam populi ante Solonem.

(3) Plutarch. l. l.

tamen breviter restat de concione populi, cujus quippe vis et efficacitas cum in magistratus, tum in civitatis regendae rationem non tantum, sed in Athenarum quoque sub Pisistratidis conditionem magna fuerit (1).

Penes populi concionem summa erat rerum auctoritas, cui quippe omnes magistratus rationibus reddendis obnoxii erant (*ὑπεύθυνοι ἦσαν*): in caussis gravissimis, interdum de caussis capitalibus judicabat, concio ducibus magistratibusve imperium abrogabat, in exiliumque ejiciebat. Jus, ut concioni interesse liceret, quale requireretur, ut et a quibus magistratibus haberetur, cum inquirere pro nostro instituto longius sit, et alii dedita opera hoc fecerint, silentio praetermittimus.

Utiliter etiam privatorum opibus, ut hoc addamus, consuluit Solon, tum mercaturae: magnum enim incolarum numerum, cum abunde alere non posset agricultura, in solo quippe tenui, honore artes excitavit, legemque scripsit, ne filius patrem alere cogeretur (quod alioqui necessarium erat), a quo opificium nullum didicisset (2). Haec omnia

---

(1) Plutarch. Sol. Cap. 18. *Καὶ γὰρ ὅσα ταῖς ἀρχαῖς ἔταξε κρίνειν, ὁμοίως καὶ περὶ ἐκείνων εἰς τὸ δικαστήριον ἐφέσεις ἔδωκε τοῖς βουλομένοις:* quod aliis verbis idem dicit Aristoteles l. l. *Ἐπεὶ Σόλων γε ἔοικε τὴν ἀναγκαιοτάτην ἀποδιδόναι τῷ δήμῳ δύναμιν, τὸ τὰς ἀρχὰς αἱρεῖσθαι καὶ εὐθύνειν.*

(2) Cf. Plutarch. Cap. 22. *Ὁρῶν δὲ τὸ μὲν ἄστυ πιμπλάμενον ἀνθρώπων ἀεὶ συῤῥεόντων πανταχόθεν ἐπ᾽ ἀδείας εἰς τὴν Ἀττικὴν, τὰ δὲ πλεῖστα τῆς χώρας ἀγεννῆ καὶ φαῦλα — πρὸς τὰς τέχνας ἔτρεψε τοὺς πολίτας· καὶ νόμον ἔγραψεν, υἱῷ τρέφειν τὸν πατέρα, μὴ διδαξάμενον τέχνην, ἐπάναγκες μὴ εἶναι.*

a Solone sive instituta, sive confirmata, omnemque civitatis administrandae formam si quis recte exploraverit, perspexerit, et dijudicaverit, ut inde Athenarum cognoscat conditionem, quae et qualis iis temporibus fuerit, quam vim in Pisistratidarum imperium habuerit, quaeque tyrannidis occupandae caussae exstiterint; facile quivis, vel mediocriter rerum politicarum peritus, hanc historiam magna meditandi disputandique subsidia continere sentiet.

CAPUT II.

DE PEDIAEORUM, PARALIORUM, DIACRIORUM ALIORUMQUE FACTIONIBUS.

His omnibus ita ordinatis cum subinde reip. ordinationem immutandi et emendandi consiliis quasi obrueretur Solon, patriâ cedere statuit, sperans fore ut ita leges, quas in decennium ne mutarentur Quadringentorum Senatui et Thesmothetis servandas custodiendasque commiserat, post tam longum temporis spatium facilius servarentur et confirmarentur. At statim post reditum vexatam invenit remp. multiplicibus discordiarum generibus, et quod majus est, infestissimis sibi invicem factionibus: in quibus illae profecto gravissimum tenent locum, quae Pediaeorum, Paraliorum et Diacriorum nominibus innotuerunt: quae aliis factionibus cum essent graviores, et eventu majorem vim et efficacitatem in reliquam Athenarum conditionem, et reip. administrationem habuerint; praeter rem non esse videbitur, si paulo diligentius, quae et quales fuerint, indagamus et exploramus.

Pauca sunt quae veteres de iis scripto reliquêre, quippe qui non dedita opera, at quasi in transitu quaedam de iis tradiderunt. In his Herodotus, ut antiquissimus, primum locum obtinet: *στασιαζόντων τῶν Παράλων καὶ τῶν ἐκ τοῦ πεδίου Ἀθηναίων, καὶ τῶν μὲν προεστῶτος Μεγακλέος τοῦ Ἀλκμαίωνος, τῶν δὲ ἐκ τοῦ πεδίου Λυ-*

πούργου Ἀριστολαΐδεω, καταφρονήσας (Πεισίστρατος) τὴν τυραννίδα ἤγειρε τρίτην στάσιν (1).

Thucydides nullam eorum facit mentionem: bis tantum memorat Paralios, non tamen eosdem qui Athenienses vocabantur, sed ad Meliensium, vel potius Maleensium (uti scribendum) populum qui pertinebant; unde conficere possumus solius Atticae regionis parti non tantum hoc nomen proprium fuisse, sed etiam in alios accommodari posse populos, et eam populi partem, quae mare accoleret, vel in vicinia habitaret, Paraliorum nomine insignitam fuisse (2).

Plutarchus fusius quodammodo harum factionum facit mentionem: *Οἱ δὲ ἐν ἄστει πάντες ἐστασίαζον, ἀποδημοῦντος τοῦ Σόλωνος· καὶ προειστήκει τῶν μὲν Πεδιέων Λυκοῦργος, τῶν δὲ Παραλίων Μεγακλῆς ὁ Ἀλκμαίωνος, Πεισίστρατος δὲ τῶν Διακρίων· ἐν οἷς ἦν ὁ θητικὸς ὄχλος, καὶ μάλιστα τοῖς πλουσίοις ἀχθόμενος* (3).

Herodotus tamen verosimilius Plutarcho hanc rem exposuisse videtur: nimirum duas tantummodo, quae turbarent remp., ab initio fuisse factiones Pediaeorum et Paraliorum, quorum illos credibile est veterum optimatium dominationem, exclusis aliis, revocare vo-

(1) Nimirum Diacriorum, quos Herodotus vocat *Ὑπεράκριους*, quique opponuntur *τοῖς Πεδιαίοις* et *Παραλίοις*. Cf. Herodot. I, 59. et Valcken. ad VI, 20. ubi etiam Eustathii excitat auctoritatem ad Odyss. I. p. 365, 50. huc quodammodo pertinentem: *Ἡρόδοτος τὰς ἄκριας Ἄκρια οὐδετέρως φησὶν ἐν τῷ, οἳ μὲν εἶχον, τὰ περὶ τὴν πόλιν καὶ τὸ πεδίον, τὰ δ' ὑπεράκρια ἔδοσαν Καρσί.*

(2) Cf. Thucyd. III, 92. et VIII, 73. quo postremo tamen loco de Paraliis in Attica habitantibus sermo esse videtur.

(3) Plutarch. in Solon. Cap. 29.

luisse: Alcmaeonidas autem, quos perpetuos tyrannorum osores cognovimus, etiam in Cyloneo negotio omni ratione pugnasse pro moderatis Solonis legibus constat.

Ex recentioribus qui illarum factionum attigêre historiam, est Doctiss. Ilgenius, Boeckhii discipulus, qui communem eandemque perversam opinionem, eas ex eo genere, quod a Cranao rege institutum fertur, ortas esse, breviter refellit, suaeque stabiliendae sententiae caussa commenticias esse illas Cranai tribus dicit (1). Persequitur porro has factiones una cum nominibus suis per se ex ipsa rei natura ortas esse dicens: » Diacriae enim sterilitas effecit ut plures » ibi pauperiores essent incolae, quam divites mag» norumque praediorum possessores; in plana con» tra regione major videlicet erat copia nobilium, » partim in ipsa urbe, in hac parte sita, partim » circa eam agros et villas habentium (2). Hos » vero optimatium principatum voluisse, illos contra, » oppressos a nobilibus, et obaeratos populare impe» rium exoptasse, consentaneum est. Paralii vero » aequabilius fortasse e divitibus et pauperioribus » commixti mediam civitatis formam tenere male» bant. Hae factiones inde a locis, ubi sedes po» tissimum habebant, nomina accipiebant."

---

(1) Disquisitionis *de Tribubus Atticis Specimen* supra laud. pag. 47—49.

(2) Facile in his secuti sumus Ilgenium: sed quid sibi voluerit his verbis *villas habentium*, plane assequi non possumus; quippe Athenienses istis temporibus villas jam habuisse, praesertim si vel paululum eorum temporum rationem habeamus, verosimile adeo non esse videtur.

Praeter has aliae, attamen cum iis conjunctae, revixerunt factiones Alcmaeonidarum et Cylonea, quae, quippe fere semper sibi adversariae, adeoque infestissima tyrannide graviores, remp. nisi plane sustulerint, gravi tamen clade afflixerint. Factionum autem ejusmodi plerumque talem videmus exitum, ut unus alterve ex harum principibus arripiat sibi et vindicet rerum summam; quique, ut in tyrannis fieri assolet, labefactatam plerumque restituat remp., munimentum adversus factionum discordias in populi erga divites odio, et fide erga se, ut Aristoteles ait, tutissimum habens (1).

Gratam vero acceptamque infimae populi parti fuisse tyrannidem cum propter imperium hereditarium, quo semper, praecipue in tali rerum statu exsultabant, tum propter favorem, quo tyranni omnia in populi gratiam facturi creduntur, egregie ex antiquis scriptorum monumentis nobis ostendit Clariss. Wachsmuthius (2).

---

(1) Aristotel. Politic. V, 4, 5. *ἡ δὲ πίστις ἦν ἡ ἀπέχθεια πρὸς τοὺς πλουσίους.*

(2) Oper. laud. Sect. VI, § 50. locus classicus sic se habet: *In dem sinne des niedern Volks aber hatte die tyrannis insgemein ihre wurzel und nahrung nicht blosz kraft seines hasses gegen den herrschenden stand, durch welchen getrieben es den Demagogen sich willig zur partei stellte; sondern mit diesem gegenstreben gegen die anmaszungen der herren, und dem bemuhen, das verhaszte joch abzuwerfen, verband sich die auch nach jahrhunderten noch nicht gänzlich erloschene anhänglichkeit des Furstenthums vor der vielhauptigen herrschaft stolzen und standessuchtigen Adels. Diese anhänglichkeit an das ehemalige erbfurstenthum, das als mildes und vaterliches staatswalten im munde des Volkes lebte, dem als wesentliche eigenschaft beigelegt ward, das es wohlthaten spende, und Unrecht im lan-*

Factiones igitur hae singulae, quas primo loco memoravimus, singulos cum haberent duces, Pediaei Lycurgum, Paralii Megaclem, Pisistratum Diacrii; redux in patriam Solon hos factionum principes reconciliare tentabat, at frustra: cumque tyrannidem etiam, omnium desiderio, adgredi nollet; Pisistratus, quippe bene perspiciebat civium animos ita esse perturbatos, ut civitas ita stare diutius non posset, postquam Diacriorum, in quibus, ut supra vidimus, ἦν ὁ θητικὸς ὄχλος, καὶ μάλιστα τοῖς πλουσίοις ἀχθόμενος, gratiam sibi conciliasset, summâ rerum potitus est; ut revera, obsistentibus licet Solone, reliquisque factionum principibus, rem populi, et fortasse omnium Atheniensium restitueret, tueretur, et ad pristinam majorum gloriam revocaret.

---

de nich dulde, unterhalten durch die dichtungen von der heroischen zeit, ward neugekräftigt, wenn Volksfuhrer zu der gunst, welche ihre freundlichkeit, wohlthätigkeit, und ihre ausgezeichneten persönlichen eigenschaften fanden, auch durch abstammung von altköniglichem geblute, wie Peisistratos, emporragten.

CAPUT III.

DE DEFINIENDA PISISTRATIDARUM AETATE.

In multis antiquitatis partibus quominus justam sequamur temporis notationem multa, quae recensere longum sit, impediunt. Iisdem quoque impedimentis subjecta est Pisistratidarum historia; praesertim quod nullus, quantum scio, reperitur scriptor, qui Pisistrati, filiorumque sive natalis, seu mortis anni fecerit mentionem. In his igitur, manifesta quum desint testimonia, unice quid vel conjecturâ vel comparatione cum aliis, quorum vita ad idem temporis spatium referri possit, efficiatur necesse est. Id plurimos recentiori tempore fecisse, pauciores tamen verum assecutos esse non est, quod memoremus (1); quum alii parum cauti subsidiisque minus bonis instructi plane a via aberraverint; alii haud meliorem viam ingressi, et priorum, qui periculum fecerant, conaminibus probatis, falsi specie inducti sunt, ut, quae a veritate quam maxime remota erant, pro veris et compertis haberent.

(1) Ex horum numero qui prae caeteris conferri merentur, sunt: Petavius in *Rationario Temporum* Parte II. Lib. III. Cap. 9. Corsinus *Fast. Attic.* Tom. III. pag. 94 et seq. et Bouhier *Recherches et Dissertations sur Hérodote* Chap. XIV. pag. 153 et seqq.

Seculo vero exeunte XVIII Larcherus, diligentissimus Herodoti interpres, refutatis aliorum argumentationibus, propriamque ingressus viam, ut aliorum, ita Pisistratidarum tyrannidis definivit tempus, ut nullum fere dubium relinqueretur, quin, quod nulli potuerunt, unus adsecutus esse videretur (1). Hujus igitur computandi rationem magna pro parte secuti, quae Pisistratidarum aetas sit definienda, paucis videamus.

Pisistrati annus natalis, testimoniorum inopiâ, quodammodo definiri posse videtur comparatione instituta Solonem inter et Pisistratum. Secundum tabulas Chronologicas, quae dicuntur, Barthelemii, Solonis natales incidunt in Olympiad. XXXV, 3. à C. N. 638, mortis tempus in Olympiad. LV, 2. itaque ad 80 annorum aetatem pervenit (2). Pisistratus duobus ante Solonis mortem annis Athenarum tyrannide potitus est, eoque tempore adeo provectae aetatis esse non potuit, si res ejus gestas inspiciamus, quum hominem aetatis magis ferventis quam senescentis indicare videantur. Pisistratum igitur 25 vel, (quod ultimum) 30 annos Solone minorem natu statuere possumus. Multo etiam minorem natu esse non potuisse conjicias exinde, quod Solonem in expeditione adversus Salaminem sedulo adjuvisse legimus in Plutarcho (3); quam expeditionem etiamsi 45 Solonis aetatis anno ponamus

(1) Cf. Larcher. in Chronologia Herodotea Cap. XVIII.
(2) Cf. Voyage d'Anachars. T. VII. p. 142 et 145.
(3) Plutarch. in Solone Cap. 8.

(satis longum temporis spatium), 15 tamen aut 20 annos excedere non potuit Pisistratus: praeterea Solonis erat consobrinus: τὴν δὲ μητέρα τοῦ Σόλωνος Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἱστορεῖ τῆς Πεισιστράτου μητρὸς ἀνεψιὰν γενέσθαι (1), unde Solonem 25 annos (si ultimum sumamus) Pisistrato antecedere posse conjicias. His itaque assumtis haud temere statui possit: Pisistrati annum natalem incidere in Olymp. XLI. 4, a. C. N. 613. In tabulis, quas modo laudavimus, Chronologicis mortis annus definitur Olymp. LXIII, 2. a. C. N. 527: rationibus igitur subductis, octogesimum sextum aetatis annum, quum moreretur, attigerit necesse est. Haec aetatis definiendae ratio si cui nimia videatur, medium sumamus Solonis inter et Pisistrati annum natalem nimirum 30 annos; exinde natus Olymp. XLIII, 1. a. C. N. 608. mortis tempore ad 81 aetatis annum pervenerit Pisistratus; et haec in primis congruunt cum iis quae Thucydides de Pisistrato ait, eum Senem mortuum esse, γηραιοῦ τελευτήσαντος (2).

Videamus nunc de tempore, per quod tyrannidem exercuisse perhibetur.

Tyrannide potitus est, teste Plutarcho (3), Athenis Archonte Comia, cujus imperii annus incidit in Olympiad. LIV annum 4, ante nostram aeram 560 annis. Bis ejectus, bis item in pristinam dignitatem restitutus, tyrannidem ad mortem usque tenuit, ut

(1) Plut. in Solone Cap. 8.
(2) Thucyd. VI, 54.
(3) Solon. Cap. ultim.

monet Aristoteles, qui triginta trium annorum intervallum fuisse ait ab accepta tyrannide usque ad mortem. Hinc sequitur eum mortuum esse anno Olympiad. LXIII, 2. a C. N. 528. Idem Aristoteles quum affirmet eum 17 annos regnasse, ejusmodi institui possit ordinatio: Potitur tyrannide Olymp. LIV, 4. 560. a C. N., expellitur anno sequenti, post unius anni imperium: restituitur a Megacle 5 annis post (554 a C. N.); iterum ejicitur ope ejusdem Megaclis anno sequenti 553 a C. N.; reposcit tyrannidem, Atheniensibus gravi pugna superatis, anno undecimo post alteram expulsionem, ut ipsis verbis hoc indicat Herodotus διὰ ἑνδεκάτου ἔτεος (1). Secundum Herodotum igitur et Aristotelem septemdecim annos regnaverit, sedecim in exilio transegerit.

Quod reliquum Pisistratidarum imperium attinet, in his est quod deflectamus a Larcheri rationibus, quod vir doctissimus vulgarem sequi videtur opinionem, nimirum utrumque Pisistrati filium tyrannidis participem fuisse: nos huic contrariam quum instituturi simus disputationem (2), minus probare docti Interpretis sententiam, non est quod dicamus.

Aristoteles, ut haec paucis complectamur, Pisistratidas 37 regnasse annos affirmat, Herodotus, unius anni discrimine, 36 annorum imperium eis adscribit. Larcherus eos ingeniose conciliasse videtur.

(1) Herodot. I, 62.
(2) Cf. Disputat. Parte II. Cap. 2.

In superioribus autem quum viderimus Pisistratum per septemdecim annos tyranni munere functum fuisse; Hippias, si nobis constare velimus, duodeviginti annos regnaverit necesse est, quum expulsus sit quarto post Hipparchum interfectum anno Olymp. LXVIII, 3. a. C. N. 510. Et haec quae vitae, mortis imperiique tempus spectant, sufficere nobis videntur.

CAPUT IV.

DE PISISTRATI TYRANNIDE I.

Respublicas, civitates, imperii formas orientes, crescentes, potentes; decrescentes iterum, labentes, et plane sublatas qui describerent, fuêre multi: in his tamen unum Aristotelem omnes cum veteres, tum recentiores longe superavisse si posuerimus, nos non temere egisse quisquis facile concesserit. Hic enim est, qui praeter ceteras, Atheniensium quoque civitatem nobis proponit ita, ut a prima civitatis origine eum huic interfuisse dixeris. Non tantum enim exponit quae civitatis fuerint dissensiones, factiones et perturbationes, verum incrementa ejus et eventus vere et acute expedit. Audiamus eum ipsum, qui in unoquoque reip. administrandae genere eventa consideranda esse putet, disserentem: *Αἱ μὲν οὖν δημοκρατίαι μάλιστα μεταβάλλουσι διὰ τὴν τῶν δημαγωγῶν ἀσέλγειαν· τὰ μὲν γὰρ, ἰδίᾳ συκοφαντοῦντας τοὺς τὰς οὐσίας ἔχοντας, συστρέφουσιν αὐτούς· συνάγει γὰρ καὶ τοὺς ἐχθίστους ὁ κοινὸς φόβος· τὰ δὲ, κοινῇ τὸ πλῆθος ἐπάγοντες· καὶ τοῦτο ἐπὶ πολλῶν ἄν τις ἴδοι γιγνόμενον οὕτω* (1). Et Pisistrati tyrannidem hinc dijudicandam esse, in sequentibus ostendere conabimur.

Pisistratus tyrannide potitus est, ut diserte ait Plutarchus, Archonte Comia: *ἐπὶ Κωμίου μὲν γὰρ ἤρξατο*

(1) Aristoteles Politic V, 5.

τυραννεῖν Πεισίστρατος (1). Comias muneris dignitatem adeptus est Olympiadis LIV anno quarto exeunte a C. N. 560, etsi Meursium et Corsinum contra disputasse optime ostendit eosque refellit Larcherus in Chronologia Herodotea, quem ut veritatis studiosissimum in temporis notatione fere ubique secuti sumus: quibuscum, quae in Cap. proxime antecedente de Pisistrati vitae, tyrannidis et mortis tempore diximus, collatis, a veritate haud multum aberrasse videbimur.

Postquam Atheniensium decretum de Salamine recuperanda irritum factum esset simulatâ Solonis insaniâ, et recitatâ, qua civium animi excitarentur, Elegiâ, Pisistrati, juvenis adhuc, magnas in hac expeditione fuisse partes, quin etiam, quod verisimilius est, eum cum Solone huic expeditioni praefuisse nobis auctor est Plutarchus (2). Qua tandem expeditione feliciter peracta, at magno cum civitatis damno reviviscentibus veteribus istis, quas supra diximus, factionibus, Soloneque tyrannidem accipere recusante; Pisistratus juvenis, ut videtur, quod vi consequi forte non potuisset, dolo et artibus sibi comparare studuit: quid mirum? in homine qui ipse Orator et Demagogus fuerit, et qui, ut Plutarchus ait, αἱμύλον τι καὶ προσφιλὲς εἶχεν ἐν τῷ διαλεγέσθαι (3) καὶ βοηθητικὸς

(1) Plutarchus in Solone Cap. Ult.

(2) Plutarchus in Sol. Cap. 9.

(3) Legislatoris perspicacitatem et prudentiam, qua Pisistratum a proposito absterrere conabatur, prodit Solonis dictum, quod Plutarchus posteritati reliquit. Οὐ καλῶς, ὦ παῖ Ἱπποκράτους, ὑποκρίνῃ τὸν Ὁμηρικὸν Ὀδυσσέα· ταῦτα γὰρ ποιεῖς τοὺς πολίτας παρακρουόμενος, οἷς ἐκεῖνος τοὺς πολεμίους ἐξηπάτησεν αἰκισάμενος ἑαυτόν.

ἦν τοῖς πένησι, καὶ πρὸς τὰς ἔχθρας ἐπιεικὴς καὶ μέτριος (1). Vulnera itaque sponte sibi cum intulisset, quam ignominiam civitatis caussa in rixa cum Megacle se subiisse dicebat, postridie curru vectus populi in concionem venit; quo viso populus supra modum indignabatur, eique custodes, quos rogaverat, statim concedebat. De custodum numero fere omnes, qui scripto quid reliquerunt, differre, at facile in concordiam redigi posse videntur. Plutarchus quinquaginta, Solon ipse in Epistola ad Epimenidem quadringentos (2), alii alium numerum excitant: quae differentia, ut jam Meursius ostendit, si statuamus Pisistratum pro arbitrio custodum numerum et auxisse et minuisse, facile tolli posse intelligitur.

His ergo ad corporis custodiam impetratis, adversarii statim Megacles, et cum hoc Alcmaeonidae, perpetui quippe tyrannorum osores, urbem reliquerunt: itaque etiam his liberatus, custodibus adjuvantibus, arcem, tyrannorum tutelam semper firmissimam, et certissimum reliquae tyrannidis occupandae fundamentum, occupavit (3). Alius ex alio deinceps secutus est dolus: non enim sive occupatâ acropoli, seu custodum numero satis tutum se existimans, populum quoque armis exuendum statuit. Audiamus Polyaenum hunc dolum in Pisistrati strategematis commemorantem: Πεισίστρατος Ἀθηναίων τὰ

(1) Plut. in Sol. Cap. 29.

(2) Apud Diog. Laert. quam plerique tamen spuriam habent vid. infra ad Caput VII. P. I. ubi plura de eiusmodi antiquorum Epistolis dicemus.

(3) Herodotus I, 59. et Plutarch. in Solon. 33.

ὅπλα βουλόμενος παρελέσθαι, παρῄγγειλεν ἥκειν ἅπαντας εἰς τὸ Ἀνάκειον, μετὰ τῶν ὅπλων. οἱ μὲν ἧκον· ὁ δὲ προῆλθε δημηγορῆσαι βουλόμενος, καὶ σμικρᾷ τῇ φωνῇ λέγειν ἤρχετο. οἱ δὲ ἐξακούειν μὴ δυνάμενοι, προελθεῖν αὐτὸν ἠξίωσαν εἰς τὸ προπύλαιον, ἵνα πάντες ἐπακούσειαν· ἐπεὶ δὲ, ὁ μὲν ἡσυχῇ διελέγετο. οἱ δ' ἐντείναντες τὰς ἀκοὰς προσεῖχον, οἱ ἐπίκουροι προελθόντες, καὶ τὰ ὅπλα ἀράμενοι, κατήνεγκαν εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀγραύλου. Ἀθηναῖοι δὲ γυμνοὶ καταλειφθέντες, τότε ᾔσθοντο τῆς Πεισιστράτου βραχυφωνίας, ὅτι ἄρα ἦν τέχνασμα, κατὰ τῶν ὅπλων (1)." Ut alii statim ejus intelligebant artes, ita maxime sensit Solon, et revera eum, etsi consanguinitate conjunctum, gravissimum habuit adversarium Pisistratus. Primum blandis et dulcibus verbis a proposito, quod tanta virium intentione constituerat, deterrere conabatur, quod Plutarchi loco de Solonis moribus ab eo tam egregie descriptis hic ut confirmemus, non supervacaneum esse ducimus. Ὁ δὲ Σόλων ταχὺ τὸ ἦθος ἐφώρασεν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἐπιβουλὴν πρῶτος ἐγκατεῖδεν· οὐ μὴν ἐμίσησεν, ἀλλ' ἐπειρᾶτο πραΰνειν καὶ νουθετεῖν (2). At quum etiam haec minus prospero processissent eventu, palam omni ope, quominus civitatis libertas sive imminueretur seu frangeretur, vires intendit. "Ηξας εἰς τινα ἐκκλησίαν μετὰ θώρακος καὶ ἀσπίδος, προεῖπεν αὐτοῖς τὴν ἐπίθεσιν τοῦ Πεισιστράτου· καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ βοηθεῖν ἕτοιμος εἶναι (3). Et nemine exaudiente propter metum, domum abiit, et sumtis armis, iisque ante curiam depositis, dixit: » Ἐμοὶ μὲν,

(1) Strateg. I. 21. §. 2.
(2) Plutarch. in Sol. 29.
(3) Diog. Laert. in vita Solonis I. Segm. 49.

ὡς δυνατὸν ἦν, βεβοήθηται τῇ πατρίδι καὶ τοῖς νόμοις (1). Sed nimis jam cum accrevisset Pisistrati potentia et auctoritas, nihil neque Solonis prudentia et fama, neque Pisistrati adversariorum consilia atque conamina, quominus plena constitueretur tyrannidis forma, impedire potuerunt.

Pisistratus tamen, ut omnibus, plerisque saltem morem gereret, et simul suam firmaret tyrannidem, non tantum magistratus, quos instituerat Solon, sed ne leges quidem, quas tulerat, abrogavit aut antiquavit, sed omnem civitatis administrandae formam integram servavit: unde eum non modo rem populi, sed singulorum etiam amplexum fuisse intelligimus; quod etiam moribus ejus integerrimis et consiliis maxime sinceris erga Solonem satis superque confirmatur. Praeterea omnes Solonis leges sancte custodivit, et vel ipsum imperii socium assumere sibi cupiebat, ut narrat Plutarchus: Οὐ μὴν ἀλλ' ὁ Πεισίστρατος, ἐγκρατὴς γενόμενος τῶν πραγμάτων, οὕτως ἐξεθεράπευσεν τὸν Σόλωνα, τιμῶν καὶ φιλοφρονούμενος καὶ μεταπεμπόμενος, ὥστε καὶ σύμβουλον εἶναι, καὶ πολλὰ τῶν πρασσομένων ἐπαινεῖν (2). Sic rebus constitutis earumdem factionum operâ, qua tyrannidem occupaverat, post breve imperii tempus, eam amisit, et expulsus est, ut auctor est nobis Herodotus: Μετὰ δὲ οὐ πολλὸν χρόνον τὠυτὸ φρονήσαντε οἵτε τοῦ Μεγακλέους στασιῶται καὶ οἱ τοῦ Λυκούργου, ἐξελαύνουσί μιν· οὕτω μὲν Πεισίστρατος ἔσχε τοπρῶτον Ἀθήνας, καὶ τὴν τυραννίδα οὔκω κάρτα ἐῤῥιζωμένην ἔχων,

(1) Plutarch. ibid. l. l.
(2) Plutarch. ibid. Cap. 31.

ἀπέβαλεν (1). Et hic primae Pisistrateae tyrannidis exitus, postquam annum integrum regnaverit, fuisse videtur.

(1) Herod. I, 60. De loco, quo Pisistratus primam post expulsionem degerit, certi quid quominus statuamus prohibet ipsa, qua caremus, scriptorum auctoritas, qua quippe ejusmodi quid unice probari potest: at eum etsi non perpetuo, plerumque tamen in vicina Atheniensium insula Euboea, et quidem in ejus urbe Eretria degisse non praeter veri speciem statui posse videtur: et Polyaeni locus Lib. I. §. 21. quo Pisistrati in Athenarum urbem reditus, ope Megaclis, narratur, perspicue hoc indicare videtur: *Πεισίστρατος ἀπ' Εὐβοίας ἐστράτευσεν εἰς Ἀττικὴν ἐπὶ Παλληνίδος κ. τ. λ.* Caeterum de nonnullorum nugis eum v. c. in Italiam (quod ex MS. vitio ortum esset) vel alio abiisse, quum alii aliorum correxerint errores, non est quod dicamus.

CAPUT V.

DE PISISTRATI TYRANNIDE II.

Post quinque fere annorum exsilium, mutuo inter se dissidentibus Megacle et Lycurgo, Pediaeorum et Paraliorum ducibus, illius operâ et artibus in pristinum dignitatis gradum restitutus est Pisistratus, ejectusque Lycurgus. Megacles enim Lycurgo longe inferior, ut videtur; quo firmius suam stabiliret factionem, ad dolum confugit, proposuitque Pisistrato, filiam Coesyram si ducere vellet, tyrannidem ita recuperaturum. Testis est Herodotus: *Περιελαυνόμενος δὲ τῇ στάσει ὁ Μεγακλέης, ἐπεκηρυκεύετο Πεισιστράτῳ, εἰ βούλοιτό οἱ τὴν θυγατέρα ἔχειν γυναῖκα ἐπὶ τῇ τυράννιδι* (1). Qua conditione accepta, ut, quod vellent, melius efficerent, dolum excogitarunt, unde Atheniensium tunc temporis simplicitas maxime arguitur, et in quam jam Herodotus animadvertisse videtur: dolus sic se habet: *Ἐν τῷ δήμῳ τῷ Παιανιέϊ ἦν γυνὴ, τῇ οὔνομα ἦν Φύη, μέγεθος ἀπὸ τεσσέρων πηχέων ἀπολείπουσα τρεῖς δακτύλους, καὶ ἄλλως εὐειδής· ταύτην τὴν γυναῖκα σκευάσαντες πανοπλίῃ, ἐς ἅρμα ἐσβιβάσαντες καὶ προδέξαντες σχῆμα, οἷόν τι ἔμελλεν εὐ-*

(1) Herod. I, 60.

πρεπέστατον φανέεσθαι ἔχουσα, ἤλαυνον ἐς τὸ ἄστυ, προδρόμους κήρυκας προπέμψαντες, οἱ τὰ ἐντεταλμένα ἠγόρευον ἐς τὸ ἄστυ ἀπικόμενοι, λέγοντες τοιάδε. »Ὦ Ἀθηναῖοι, δέκεσθε ἀγαθῷ νόῳ Πεισίστρατον, τὸν αὐτὴ ἡ Ἀθηναίη τιμήσασα ἀνθρώπων μάλιστα κατάγει ἐς τὴν ἑωυτῆς ἀκρόπολιν." Οἱ μὲν δὴ ταῦτα διαφοιτέοντες ἔλεγον· αὐτίκα δὲ ἔς τε τοὺς δήμους φάτις ἀπίκετο, ὡς Ἀθηναίη Πεισίστρατον κατάγει· καὶ ἐν τῷ ἄστεϊ πειθόμενοι τὴν γυναῖκα εἶναι αὐτὴν τὴν θεὸν, προσεύχοντό τε τὴν ἄνθρωπον, καὶ ἐδέκοντο τὸν Πεισίστρατον (1). Et facilius hoc ut facerent, in caussa fuisse videtur, quod Solone, acerrimo nimis libertatis tuendae auctore, jam mortuo, ut videtur, unius potius, quam optimorum imperium ferre videbantur.

Ex pacto igitur Pisistratus Coesyram (2), Megaclis filiam, uxorem ducebat: at verens ne, si ex ea liberos procrearet, quum ipse jam adultos haberet liberos, aliquanto haec res Alcmaeonidis (ipsa enim ex Alcmaeonidarum erat familia) prodesset, ipsam potius spernere, quam liberorum salutem multis exponere periculis maluit. Haec, ut vulgo fit, aegre ferens ejusmodi ignominiam primum matri, mox per matrem omnem rem patri aperit (3). Hic tales indignatus mores iterum Pisistrati ejiciendi consilium capit, et cum amicis communicat, et, nisi ipse antevertisset Megaclem, suaque sponte Atticâ cessisset, brevi facturus fuisset Megacles: quam rem more suo, i. e. breviter et vere, narrat Herodo-

(1) Herod. l. c.

(2) Herodotus Megaclis filiae nomen non tradit, sed Suidas eam ita appellatam fuisse docet in voce ἐγκεκοισυρωμένην.

(3) Herod. I, 61.

tus: Ἀπολαβὼν δὲ τὴν τυραννίδα τρόπῳ τῷ εἰρημένῳ ὁ Πεισίστρατος, κατὰ τὴν ὁμολογίην τὴν πρὸς Μεγακλέα γενομένην γαμέει τοῦ Μεγακλέους τὴν θυγατέρα· οἷα δὲ, παίδων τέ οἱ ὑπαρχόντων νεηνιέων, καὶ λεγομένων ἐναγέων εἶναι τῶν Ἀλκμαιωνιδέων, οὐ βουλόμενός οἱ γενέσθαι ἐκ τῆς νεογάμου γυναικὸς τέκνα, ἐμίσγετό οἱ οὐ κατὰ τὸν νόμον. τὰ μὲν νυν πρῶτα ἔκρυπτε ταῦτα ἡ γυνή· μετὰ δὲ, εἴτε ἱστορεύσῃ, εἴτε καὶ οὔ, φράζει τῇ ἑωϋτῆς μητρὶ, ἡ δὲ, τῷ ἀνδρί· τὸν δὲ δεινόν τι ἔσχεν, ἀτιμάζεσθαι πρὸς Πεισιστράτου· ὀργῇ δὲ ὡς εἶχε, καταλλάσσετο τὴν ἔχθρην τοῖσι στασιώτῃσι. μαθὼν δὲ ὁ Πεισίστρατος τὰ ποιεύμενα ἐπ' ἑωυτῷ, ἀπαλλάσσετο ἐκ τῆς χώρης τοπαράπαν." (1)

De rebus ejus gestis, cum eae, utpote minore temporis intervallo, nec in primam nec in alteram tyrannidem cadere videantur, difficile est dictu: et praeterea si fortasse locum habuerint per primam alteramve tyrannidem, quippe nulla sit probabilis temporis notatio, neque ab ullo veterum scriptorum, temporis ratione habita, narrentur; eas peculiariter potius singulas deinceps post tertiam tyrannidem expositam commemorabimus. Ita brevi post primam recuperationem, fortasse ne annum quidem integrum cum tenuisset imperium, iterum expulsus est, et Eretriam se contulit, ubi perpetuo ad alteram restaurationem cum filiis degisse videtur. Hic tamen, altera Pisistrati tyrannide finita, quominus manifestum nonnullorum errorem, Pisistratum vel ultra octo annorum spatium regnasse, notemus, silentio praetermittere non pos-

(1) Herod. I, 61.

sumus. Unicuique enim, vel rerum habita ratione, eum tam diu regnare non potuisse manifestum erit; praeterea quoque, ut hoc jam Larcherus animadvertit, res ipsa, quae alteri Pisistrati expulsioni ansam praebuerit, simile quid brevi post restitutum Pisistratum accidere debuisse, manifesto prae se fert (1).

(1) Significatur ignominia Megaclis filiae illata, de quâ modo egimus. Cf. Herod. I, 61. et Larcherus in Chronologia Herodotea Cap. 18. pag. 532.

CAPUT VI.

DE PISISTRATI TYRANNIDE III.

Alteram tyrannidis occupationem, quomodo, quibusque subsidiis instructus receperit, et ad mortem usque tenuerit Pisistratus, egregie describit Herodotus: *Ἀπικόμενος δὲ ἐς Ἐρέτριαν, ἐβουλεύετο ἅμα τοῖσι παισίν. Ἱππίεω δὲ γνώμην νικήσαντος, ἀνακτᾶσθαι ὀπίσω τὴν τυραννίδα, ἐνθαῦτα ἤγειρον δωτίνας ἐκ τῶν πολίων, αἵτινές σφι προῃδέατό κού τι. πολλῶν δὲ μεγάλα παρασχόντων χρήματα, Θηβαῖοι ὑπερεβάλοντο τῇ δόσεϊ τῶν χρημάτων. μετὰ δὲ, οὐ πολλῷ λόγῳ εἰπεῖν, χρόνος διέφυ, καὶ πάντα σφι ἐξήρτυτο ἐς τὴν κάτοδον. καὶ γὰρ Ἀργεῖοι μισθωτοὶ ἀπίκοντο ἐκ Πελοποννήσου· καὶ Νάξιός σφι ἀνὴρ ἀπιγμένος ἐθελοντὴς, τῷ οὔνομα ἦν Λύγδαμις, προθυμίην πλείστην παρείχετο, κομίσας καὶ χρήματα, καὶ ἄνδρας. Ἐξ Ἐρετρίης δὲ ὁρμηθέντες, διὰ ἑνδεκάτου ἔτεος ἀπίκοντο ὀπίσω. καὶ πρῶτον τῆς Ἀττικῆς ἴσχουσι Μαραθῶνα. ἐν δὲ τούτῳ τῷ χώρῳ σφι στρατοπεδευομένοισιν, οἵ τε ἐκ τοῦ ἄστεος στασιῶται ἀπίκοντο, ἄλλοι τε ἐκ τῶν δήμων προσέῤῥεον, οἷσιν ἡ τυραννὶς πρὸ ἐλευθερίης ἦν ἀσπαστότερον· οὗτοι μὲν δὴ συνηλίζοντο. Ἀθηναίων δὲ οἱ ἐκ τοῦ ἄστεος, ἕως μὲν Πεισίστρατος τὰ χρήματα ἤγειρε, καὶ μεταῦτις ὡς ἔσχε Μαραθῶνα, λόγον οὐδένα εἶχον· ἐπεί τε δὲ ἐπύθοντο ἐκ τοῦ Μαραθῶνος αὐτὸν πορεύεσθαι ἐπὶ τὸ ἄστυ, οὕτω δὴ βοηθέουσι ἐπ' αὐτόν. καὶ οὗτοί τε πανστρατιῇ ἦσαν ἐπὶ τοὺς κατιόντας, καὶ οἱ ἀμφὶ Πεισίστρατον, ὡς ὁρμηθέντες ἐκ Μαραθῶνος ἦσαν ἐπὶ τὸ ἄστυ ἐς τωὐτὸ συνιόντες, ἀπικνέονται ἐπὶ Παλ-*

ληνίδος Ἀθηναίης ἱρὸν, καὶ ἀντία ἔθεντο τὰ ὅπλα (1). Quam expeditionem ut susciperet quum etiam Amphilyti cujusdam sacerdotis vaticinium eum excitaret, omnia tyrannidi posthabuit, et eo, quo inceperat animo, perfecit. Vaticinium hujusmodi erat:

» Ἔρριπται δ' ὁ βόλος, τὸ δὲ δίκτυον ἐκπεπέτασται·
» Θῦνοι δ' οἰμήσουσι σεληναίης διὰ νυκτός." (2)

Sic igitur vaticinio edito, et uno proelio commisso, tertio tyrannidis potitus est Olymp. LX. an° 1. eamque ad mortem usque integram servavit. Et haec hactenus quae ad ipsam tyrannidem pertinent.

Totam autem argumenti rationem, ut res ejus gestae suo sibi tempore narrentur, non sinere superius cum dixerimus; hic eas breviter recensebimus. Praeter singulas tyrannidis occupationes, multas etiam suscepit expeditiones: primum contra insulam Salaminem, cujus ipse sive dux, sive socius fuit, ut ex tota Plutarchi de hac insula narratione confici potest (3). Expugnavit quoque Nisaeam, Megaridis navale (4), item Sigeum quod narrat Herodotus: Ἱππίῃ δὲ, ἐνθεῦτεν ἀπελαυνομένῳ, ἐδίδου μὲν Ἀμύντας ὁ Μακεδὼν Ἀνθεμοῦντα· ἐδίδοσαν δὲ Θεσσαλοὶ Ἰωλκόν· ὁ δὲ τουτέων μὲν οὐδέτερα αἱρέετο, ἀνεχώρεε δὲ ὀπίσω ἐς Σίγειον, τὸ εἷλε Πεισίστρατος αἰχμῇ παρὰ Μιτυληναίων (5). Idem nobis narrat

---

(1) Cf. Herodotus I, Cap. 61 et 62.
(2) Herodot. l. c.
(3) Cf. Plutarch. in Solone Cap. VIII.
(4) Cf. Strabo Lib. IX. pag. 392.
(5) Herodot. V, 94. cui filium nothum praefecit Hegesistratum; quippe non publica Atheniensium, sed ut privata tyranni habenda est possessio. Cf. Wachsmuth Opere laud. Tom II. pag. 37.

eum Naxum insulam bello subegisse, Lygdamique Naxio commisisse (1). Quid Pisistratum impulerit ad hanc insulam bello subigendam Lygdamique committendam, quaerendum videtur in eo quod in insulam Naxum, unam ex Cycladibus, antiquitus Athenienses miserant coloniam ducibus Archetimo et Teuclo (2), solique erant Athenienses, quibus suarum coloniarum salus et conservatio cordi erat (3); deinde quod insequentibus temporibus Pisistratum inter, Polycratem Sami, et Lygdamin Naxi tyrannum se invicem tutandi et defendendi quasi societas quaedam constituta erat, quae inde ortum habere videtur quod Lygdamis in insula Naxo, seditione Nobiles inter et populum orta, hujus partibus favens, primum Demagogi deinde tyranni dignitatem sibi quum vindicasset, mutuis interdum exortis discordiis, eam tandem a Pisistrato confirmatam obtinuit (4). Delum etiam insulam, quae magno societatis vinculo cum Atheniensibus conjuncta erat, lustratione oraculi jussu (ἐκ τῶν λογίων) purgavit (5).

---

(1) Herod. I, 64.

(2) Cf. Raoul-Rochette *Histoire Critique de l'établissement des Colonies Grecques* Tom. III. pag. 80. et Auctores ibi citati.

(3) Cf. Raoul-Rochette ejusdem Tomi pag. 381. nota 1.

(4) Cf. Wachsmuth Op. cit. Tom. I. pag. 177 et 276.

(5) Herodotus l. c. et Spanhemius *in Observationib. ad Callimachi hymnum in Delum* multis locis. Haec tamen Deli lustratio non est commutanda cum illa quam Thucydides memorat Lib. III. Cap. 104. quippe quae diu post Pisistratum locum habuisse videtur uti ex ejus verbis apparet: *Τοῦ δ' αὐτοῦ χειμῶνος καὶ Δῆλον ἐκάθηραν Ἀθηναῖοι, κατὰ χρησμὸν δή τινα. ἐκάθηρε μὲν γὰρ καὶ Πεισίστρατος ὁ τύραννος πρότερον αὐτὴν, κ. τ. λ.*

Rationem et disciplinam bellicam multis nominibus emendavit: huc spectat, quaeque admodum celebrata est lex ejus, quâ captivorum et bello sauciatorum magna in primis ratio habebatur teste Plutarcho: Καὶ νόμους αὐτὸς ἑτέρους ἔγραψεν, ὧν ἐστὶ καὶ ὁ τοὺς πηρωθέντας ἐν πολέμῳ δημοσίᾳ τρέφεσθαι κελεύων (1). Etiam aliam ἀργίας legem, quam Plutarchus, auctoritate Theophrasti, non Soloni, ex aliorum sententia, sed Pisistrato tribuit (2). Ostracismum quoque eum instituisse sunt qui putent (3): sed quominus ab illorum partibus stare possimus, prohibent multa: primum, quod omni verisimilitudini obstare videtur, ipsum tyrannum legem tyrannidi tam contrariam laturum fuisse; deinde, quod omnis ejusmodi traditio obscuris deperditorum scriptorum fragmentis nitatur; tertio, quod ex variis variorum opinionibus, ab omni veri specie alienis, ea praecipua esse videatur, quae originem hujus instituti referat ad Clisthenem, Alcmaeonis filium (4). Ad Pisistrati quoque tempora referendum videtur, quod Atheniensium colonia, suadente Solone, mitteretur in Chersonesum Thracicam, duce Miltiade, Cypseli filio, Olymp. LVI. anno 1. a. C. 556, cui ut faveret, multa suadebant Pisistrato: primum quod Miltiades ille nobili ex familia ortus (οἰκίης τεθριπποτρόφου) in posterum

(1) Plutarch. in Sol. Cap. 31.

(2) Plutarch. l. c. De voce ἀργία vid. Wyttenbach in Bibl. Critic. Parte XII. pag. 42, et scriptores ibi citati.

(3) Harpocration voce Ἵππαρχος, et Suidas eadem voce, uti jam ostendit Meursius in Pisistrato Cap. 7.

(4) Cf. Disputatio J. A. Paradijs de Ostracismo Atheniensium pag. 10.

multum ipsi negotii facessere posset; quodque ex Herodoti verbis confici potest: Μιλτιάδεα δὲ ἀκούσαντα παραυτίκα ἔπεισε ὁ λόγος, οἷα ἀχθόμενόν τε τῇ Πεισιστράτου ἀρχῇ, καὶ βουλόμενον ἐκποδὼν εἶναι. deinde quod Chersonesi fertilitas, in ipsa Atticae terrae tenuitate, multa et innumera Atheniensibus suppeditare posset commoda (1). Agriculturae studium ob caussam fortasse politicam magis magisque excitavit, et contra quam Theseus, qui ex agris in urbem colligi jussit populum, ex ea ut demigraret in agros, praemia proposuit, et vestimenti genus, per se rem non magnam, prorsus novum induxit, κατωνάκην dictum, ut narrat Hesychius: δοκοῦσι δὲ τοῦτο (κατωνάκην) ἀμφιέσασθαι Ἀθηναῖοι τῶν περὶ Πεισίστρατον τυράννων ἐπαναγκασάντων, ἵνα ὑπὸ εὐτελείας μὴ κατίωσιν εἰς τὸ ἄστυ οἱ πολῖται (2). Urbis quoque exornandae caussa multis eam aedificiis et templis instruxit: in his fuit Pythium, Apollinis templum, cujus meminit Suidas in voce: Πύθιον, ἱερὸν Ἀπόλλωνος Ἀθήνησιν, ὑπὸ Πεισιστράτου γεγονός· εἰς ὃ τοὺς τρίποδας ἐπίθεσαν, οἱ τῷ κυκλίῳ χορῷ νικήσαντες τὰ Θαργήλια (2). Aliud Jovis Olympii, quod in locum antiqui a Deucalione exstructi, et vetustate collapsi, celeberrimis artificibus usus, novum restauravit Pisistratus: cui operi imperfecto post patris mortem a filiis suscepto tandem ultimam imposuit manum Hadrianus (3).

---

(1) Cf. Herod. VI, 33—36. et Raoul.-pag. 381. Tom. laud. nota 1.

(2) Hesychius voce κατωνάκη; et ex recentioribus Wachsmuth in opere egregio supra laudato pag. 161 et 286.

(3) Cf. praeterea Meursius Athenarum Attic. Lib. II. Cap. 1.

(4) De fato et historia hujus templi, uti et de fonte Enneacruno uberior nobis erit disserendi locus Cap. ultim. nostrae disputationis

Privata etiam vita, quam ex hoc illove scriptore cognitam habemus, opinionem, quam de eo suscepimus, magnopere confirmat eum ex principibus, qui longa annorum serie in Graecia viguerunt, si non primum, at certe nemini inferiorem fuisse. Et sane omnes eosdemque gravissimos auctores, qui saltem de eo quid memoriae prodiderint, consentientes habemus eum cum ingenii tum animi dotibus aequalium facile principem fuisse: qui praeter imperandi rationem, quam totam jam in antecedentibus indagavimus, in privata quoque vita talem se praestitit cum erga hostes et inimicos, tum in suos et proximos, ut, privatus etiamsi semper manserit, tamen reverentia et admiratione ejus ducti, quominus in optimorum civium numero habeamus, vix est quod contineamus. Sed ne Pisistrati laudum praeco esse videar, quippe hoc a nostro proposito alienum, et ceteroquin satis cognitum est, ex multis tantum locis ad vitam privatam pertinentibus pauca afferamus. Quales ejus fuerint mores ex Plutarchi loco, qui unus instar omnium est, facile conjicere possumus, ubi Solon adversarius ejus de eo dicit: *Καὶ πρὸς αὐτὸν ἔλεγε — ὡς, εἴ τις ἐξέλοι τὸ φιλόπρωτον αὐτοῦ τῆς ψυχῆς, καὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἰάσαιτο τῆς τυραννίδος, οὐκ ἔστιν ἄλλος εὐφυέστερος πρὸς ἀρετὴν, οὐδὲ βελτίων πολίτης* (1). Et ipse in Epistola, quam ad Solonem scripsisse dicitur, manifesto Plutarchi locum confirmat: » *Ἁμαρτάνω οὐδὲν ἢ περὶ θεοὺς, ἢ περὶ ἀνθρώπους. — ἐῶ γὰρ οὐδένα ὑβρίζειν· καὶ ὁ τύραννος ἐγὼ οὐ πλεῖόν τι φέρομαι ταξιώματος, καὶ τῆς*

(1) Plutarch. in Sol. Cap. 29.

τιμῆς· — σοὶ δ' ἐγὼ οὔτι μέμφομαι, μηνύσαντι τὴν ἐμὴν διάνοιαν· εὐνοίᾳ γὰρ τῆς πόλεως μᾶλλον ἢ κατὰ τὸ ἐμὸν ἔχθος, ἐμήνυες· ἔτι τε ἀμαθίᾳ τῆς ἀρχῆς, ὁποίαν τινὰ ἐγὼ καταστήσομαι. ἐπεὶ μαθὼν, τάχα ἂν ἠνέσχου καθισταμένου, οὐδὲ ἔφυγες. ἐπάνιθι τοίνυν οἴκαδε, πιστεύων μοι καὶ ἀνομότῳ, ἄχαρι μηδὲν πείσεσθαι Σόλωνα ἐκ Πεισιστράτου κ. τ. λ. (1). Benivolentia et comitas ejus propria fuit: » Thrasybulus quidam ju» venis, Pisistrati filiae amore captus, cum in publi» co obviam sibi factam osculatus esset, et hortaretur » uxor, ut ab eo capitale supplicium sumeret, re» spondit: si eos, qui nos amant, interficimus, quid » his faciemus, quibus odio sumus." (2) Macrobius aliud nobis exhibet benivolentiae exemplum, unde benignum patrem, non tyrannum agnovimus: locus sic se habet: » Pisistratus, Athenarum tyrannus, » cum filiis suis rectum dando consilium non obti» nuisset assensum, atque ideo esset in simultate » cum liberis, ubi hoc aemulis caussam fuisse gau» dii comperit, ex illa discordia sperantibus, in » domo regnantis nasci posse novitatem, universita» te civium convocata, ait, succensuisse quidem se » filiis, non acquiescentibus patriae voluntati; sed

---

(1) Diog. Laert. in Epist. Pisistrati ad Solonem I Segm. 53. Cujus ut et aliarum Epistolarum authentiam multi in dubium vocarunt, uti ex Epistola J. Scaligeri 306. ad Vorstium manifesto patet: locus hic est: » *De Epistolis Hippocratis quod ex me quaeris, antiquas eas* » *esse scio, ut Democriti, Solonis, Pittaci Mitylenaei, quae apud* » *Laertium leguntur. Sed quia omnes illas, quae illis Philosophis* » *a Laertio attribuuntur multis argumentis confictas a Graecis,* » *quibus nunquam mentiendi voluntas aut facultas defuit, probare* » *possum ideo cur et de his Hippocrateis dubitem justissima caussa est.* Cf. Fabric. Biblioth. Graec. Lib. II. Cap. 10.

(2) Valer. Maxim. V, 1.

» hoc sibi postea visum paternae aptius esse pieta» ti, ut in sententiam liberorum ipse concederet: » sciret igitur civitas, subolem regis cum patre con» cordem." (1) Liberalitatis illustre exemplum affert Diodorus Siculus (2). Αὐτὸς (Pisistratus) διαπορευόμενος ποτέ διὰ τῆς χώρας κατενόησεν ἄνθρωπον κατὰ τὸν Ὑμηττον ἐργαζόμενον ἐν χωρίοις λεπτοῖς καθ' ὑπερβολὴν καὶ τραχέσι· θαυμάσας δὲ τὴν φιλεργίαν ἔπεμψε τοὺς ἐρωτήσοντας τί λαμβάνοι τοιαύτην χώραν ἐργαζόμενος; ὧν ποιησάντων τὸ προςταχθὲν, ὁ ἐργάτης ἔφησε λαμβάνειν ἐκ τοῦ χωρίου κακὰς ὀδύνας, ἀλλ' οὐθὲν αὐτῷ μέλλειν· (3) τούτων γάρ τι μέρος Πεισιστράτῳ διδόναι· ὁ δὲ δέσποτης ἀκούσας τὸν λόγον καὶ γελάσας, ἐποίησε τὸ χωρίον ἀτελές. Aequalitate quoque juris ac legum, alioquin longe a tyrannis remota, in primis bene apud cives audiit: aliquando, ut hoc illustremus exemplo, homicidii accusatus ipse Areopagiticum Senatum adiit, et ut privatus caussam dixit; καὶ φόνου προσκληθεὶς εἰς Ἄρειον πάγον, ἤδη τυραννῶν, ἀπήντησε κοσμίως, ἀπολογησόμενος (4).

Praeterea aliis, quas hic recensere longum sit, excelluit virtutibus domesticis, quas cum comitaretur sapienter administrandae Reip. ratio, praesertim temporibus fluctuosissimis, ab hac etiam parte commendari debet.

---

(1) Macrobius Saturn. Lib. VIII, 1.

(2) Diodori Siculi Excerpta ab A. Majo e Cod. rescripto nuper edita. Cff. etiam Proverbiorum Scriptores Lucilius Tarrhaeus, Zenobius et Apostolius.

(3) Pro vocabulo μέλλειν omnino legendum μέλειν.

(4) Cf. Plutarch. in Solone Cap. 31. collato Aristotele Politic. V, 9, 21.

Si qui autem sint, qui veritatem hujus rei in dubium vocaverint, et nos nimis magna ejus reverentia abductos plus fortasse quam meruerit, laudasse putaverint; hos cum veterum auctoritate scriptorum, qui testantur, summisque eum laudibus efferunt, tum rerum gestarum fama, quae non nisi bene de rep. meritis contingere potest, convictos facile, morum temporumque ratione habita, in aliam prorsus sententiam discessuros sperare ausim. Ceterum cum privatam ejus vitam enucleate delineare ac describere nobis non proposuerimus, sed tantummodo ut lineamentorum instar quaedam adjungeremus de moribus ejus, hic finem facere possimus, nisi quaedam, et paucis contracta de mortis tempore dicenda superessent. Exigua sunt, et maximam partem conjecturis nituntur, quae ad hanc rem pertinent. Thucydides unus est qui eum senem, γηραιοῦ τελευτήσαντος, obiisse dicat (1): quae Thucydidis verba, cum indefinite ita posita, parum perspicue certum aetatis annum, quo mortuus sit, indicent, lectorem delegamus ad ea, quae dedita opera de Pisistrati aetate, et tyrannidis tempore disseruimus supra (2).

(1) Thucyd. VI, 54.
(2) Dissertation. nostrae Cap III.

PARS ALTERA.

PISISTRATIDARUM HISTORIA.

CAPUT I.

DE PISISTRATIDIS.

Pisistratidarum nomine, cum ex nonnullorum scriptorum auctoritate Pisistrati filii non tantum intelligendi sunt, sed etiam his annumerandus est ipse Pisistratus, hic tamen Pisistratidas intelligimus ipsos ejus liberos; quoniam, de eo jam peculiariter cum egerimus, quaedam de liberis dicenda restant (1). Antequam tamen ea adgrediamur, de Pisistrati uxoribus, et matrimoniorum ratione breviter, et in quantum hoc fieri potest, ut dicamus, ipsa argumenti institutio exigere videtur.

Duas Pisistratus fertur habuisse uxores, alteram

(1) Hic tamen Catachresin locum habere ex aliis ejusmodi nominibus concludi posse videtur: Heraclidarum enim vel Seleucidarum nomen nunquam, quantum scimus, ita ponitur, ut pater vel auctor una intelligatur: contra tamen docet Amplissimus Bouhier, qui quatuor exemplis ostendit auctorem vel patrem familiae liberorum nomine comprehendi. Cf. *Dissertations sur l'Histoire d'Herodote* Cap. 14.

nomine obscuram, ante, vel quod credibilius est, per ipsam primam tyrannidis occupationem; alteram Coesyram, Megaclis filiam, iterum occupata tyrannide, duxisse consentiens habemus veterum testimonium (1). Ex illa liberi recensentur Hippias, Hipparchus, Thessalus et filia, cujus nomen nusquam proditum invenimus, at Plutarchum auctorem habemus eam nupsisse cuidam Thrasybulo (2). His etiam quintus, at spurius Argiva ex muliere natus, Hegesistratus, Sigeo a Pisistrato praefectus, vulgo additur (3). Ex Coesyra nullos habuit liberos, et caussae fortasse politicae, ut ex ea nullos susciperet, incitasse videntur.

De his singulis peculiariter ut dicamus, quum reliquorum, utroque priore excepto, nulla fere mentio a veteribus facta sit, supervacaneum ducimus; universe igitur pauca de Hippia et Hipparcho locuturi, reliquorum tantum nomina recensebimus.

§. 1.

Hippias.

Ex omnibus, qui nominantur, Pisistrati filiis, Hippias cum nominis rerumque gestarum famâ, tum

---

(1) Notandus tamen est error Scholiastae Aristoph. ad Equites vs. 447. ex cujus verbis *Πεισιστράτου ἡ γυνὴ γέγονεν ἡ Μυῤῥίνη, Ἱππίου καὶ Ἱππάρχου μήτηρ*, Myrrhinam ejus uxorem fuisse conjicias, quod bene refutavit Me ursius amque ostendit Hippiae fuisse uxorem.

(2) Plutarch. in Apophthegm. Pisistrati III. Edit. Stereot. pag. 47.

(3) Cf. Herodot. V., 94.

morum ingeniique dissimilitudine, longe est notissimus. De ejus pueritia, et juvenili aetate, cum et loca veterum, ex quibus ejusmodi quid conficiatur, pauca et fere nulla sint, et, si quae reperiantur, fides admodum magna iis tribui non possit, difficile non tantum est quidquam certi statuere, sed ne conjecturâ quidem quid assequi possumus: statim igitur, his omissis, eum virum, et patrem familias spectemus.

Duas habuit uxores alteram Myrrhinen, Calliae Hyperochidae filiam, alteram nomine incerto Charmi filiam (1), quarum ex illa tantum, et quidem quinque liberos habuisse videtur, ut ex columna in acropoli ob tyrannorum injuriam posita confici potest, cujus mentionem facit Thucydides, locus sic se habet: *Σημαίνει καὶ ἡ στήλη περὶ τῆς τῶν τυράννων ἀδικίας, ἡ ἐν τῇ Ἀθηναίων ἀκροπόλει σταθεῖσα· ἐν ᾗ Θεσσαλοῦ μὲν, οὐδ' Ἱππάρχου, οὐδεὶς παῖς γέγραπται, Ἱππίου δὲ πέντε, οἵ αὐτῷ ἐκ Μυῤῥίνης, τῆς Καλλίου τοῦ Ὑπεροχίδου θυγατρὸς, ἐγένοντο* (2). Ex his filiis unus de nomine avi Pisistratus dictus prae ceteris innotuit, qui, ut Thucydides refert, Archon fuit, et aram duodecim Diis consecravit, item Apollini in templo Pythii, illamque inscriptione a Thucydide nobis servata ornavit (3). Nobilis quoque fuit filia, Archedices nomine, Aeantidae, Hippocli Lam-

(1) Cf. Clidemus *περὶ Νόστων* Lib. VIII. apud Athenaeum Lib. XIII. pag. 501. D. locus sic se habet: *Καὶ Χάρμου, τοῦ πολεμαρχήσαντος, θυγατέρα ἔλαβεν Ἱππίας, περικαλλιστάτην οὖσαν.*

(2) Cf. Thucyd. VI, 55.

(3) Cf. Thucyd. VI. 54.

psacenorum tyranni filio ob caussas fortasse politicas ab Hippia in matrimonium data (1).

Hippias integris videtur fuisse moribus, insigni comitate, benivolentia, et probitate tantâ, ut mirum cui videri possit, hominis ejusmodi virtutibus instructi naturam ita potuisse mutari: virtute bellica et rerum gestarum fama in primis magnam adeptus est gloriam, quam tamen postea, patriâ pulsus, turpiter maculavit. Post patris mortem rempublicam bene administravit, et de civibus bene meritus est, teste Pausania: Πεισίστρατος, καὶ ὁ παῖς Ἱππίας, φιλάνθρωποι μᾶλλον, καὶ σοφώτεροι, τάτε πολεμικὰ ἦσαν, καὶ ὅσα ἧκεν ἐς κόσμον τῶν πολιτῶν· ἐς ὃ, διὰ τὸν Ἱππάρχου θάνατον, Ἱππίας ἄλλά τε ἐχρήσατο θυμῷ κ. τ. λ. (2).

At statim post fratrem interfectum saevire, atque crudeliore animo tyrannidem affectare, et erga cives superbius se gerere incepit, in primis fratris interfectorem Aristogitonem, et mulierem quamdam Leaenam, ut conjurationis socios indicaret, misere cruciavit. His cum severa Reipublicae administrandae ratio accederet, pro lubitu et ex arbitrio omnia gereret; ut vectigalia, cum antea decimas solvissent tantum, non solum duplicaret et crudeliter exigeret, sed minutissimis etiam, iisque vilissimis, et cives nimium prementibus rebus tributa, quae hic recensere longum sit, imponeret (3): magistratus et honores pecunia distribueret, aliudque pro antiquo nummi genus cudi juberet; quin etiam ex nonnullo-

(1) Cf. Thucyd. l. c. 59.
(2) In Atticis Lib. I. Cap. 23.
(3) Cf. Aristot. Oecon. II. pag. 502. C.

rum opinione Ostracismum sui vindicandi caussa institueret; civium animis valde exacerbatis, benivolentia in asperitatem et diffidentiam mutata, Alcmaeonidarumque odio in dies ingravescente, tandem ipse communi omnium consensu et conjunctis viribus expulsus est, uti inferius pluribus indicabimus (1).

§ 2.

Hipparchus.

Justitiam, prudentiam, mores amabiles, ingenii animique facultates, doctrinae praeterea et eruditionis famam in quovis quod miramur, et ejusmodi hominem nobis sumimus exemplo, nemo, qui aegre ferat, erit; at majoribus etiam laudibus, in principe, si omnes hae conjunctae reperiantur virtutes, quod prosequimur, et justos ei, ut bene de literis merito, tribuimus honores, omnes comprobare debebunt. In horum numero Hipparchum prae aliis principem obtinere locum dicere nullus dubito: hic enim fuit qui, domesticae quamvis magis deditus vitae rationi, omnes, quas a natura acceperat, animi ingeniique dotes impenderet ad civium animos moresque emendandos et excolendos; qui omnes elegantiores, et humaniores, quae dicuntur, artes et doctrinas complecteretur, earumque studiosis perquam faveret,

---

(1) Dissert. P. II. Cap. 3.

praemiisque excitaret; ipseque studiorum diligentissimus excultor commercio non tantum doctissimorum virorum uteretur, verum in quoque doctrinarum genere gravissimos circa se colligeret viros: quod exemplo comprobasse suffecerit, loco Dialogi, qui Platonis nomine fertur, Hipparcho: ὃς — καὶ ἐπ' Ἀνακρέοντα τὸν Τήϊον πεντηκόντορον στείλας ἐκόμισεν εἰς τὴν πόλιν· Σιμωνίδην δὲ τὸν Κεῖον ἀεὶ περὶ αὐτὸν εἶχε, μεγάλοις μισθοῖς καὶ δώροις πείθων. ταῦτα δ' ἐποίει βουλόμενος παιδεύειν τοὺς πολίτας (1). Sed quoniam haec potius ad alteram disputationis partem pertinent, his omissis, videamus, quae ipsam Hipparchi vitae rationem et mortem spectant. Videtur Hipparchus, ex communi illorum temporum consuetudine, juvenem Harmodium in deliciis habuisse; quae caussa quantam vim et efficacitatem in reliquam Athenarum historiam habuerit, quantisque calamitatibus Pisistratidarum familiam afflixerit, operae pretium est diligentius hic exponere: ipsum igitur Thucydidem, qui hanc rem attingit, audiamus. Γενομένου δὲ Ἁρμοδίου ὥρᾳ ἡλικίας λαμπροῦ, Ἀριστογείτων, ἀνὴρ τῶν ἀστῶν, μέσος πολίτης, ἐραστὴς ὢν, εἶχεν αὐτόν. πειραθεὶς δὲ ὁ Ἁρμόδιος ὑπὸ Ἱππάρχου τοῦ Πεισιστράτου, καὶ οὐ πεισθεὶς, καταγορεύει τῷ Ἀριστογείτονι. ὁ δὲ, ἐρωτικῶς περιαλγήσας, καὶ φοβηθεὶς τὴν Ἱππάρχου δύναμιν, μὴ βίᾳ προσαγάγηται αὐτὸν, ἐπιβουλεύει εὐθὺς, ὡς ἀπὸ τῆς ὑπαρχούσης ἀξιώσεως, κατάλυσιν τῇ τυραννίδι. καὶ ἐν τούτῳ ὁ Ἵππαρχος, ὡς, αὖθις πειράσας, οὐδὲν μᾶλλον ἔπειθε τὸν Ἁρμόδιον, βίαιον μὲν οὐδὲν ἐβούλετο δρᾷν, ἐν τόπῳ δέ τινι ἀφανεῖ, ὡς οὐ διὰ

(1) Hipparchi Dialog. pag. 228 B.

τοῦτο δὴ, παρεσκευάζετο προπηλακιῶν αὐτόν (1). Quae autem Harmodii et Aristogitonis fuerint conamina, quis exitus neminem fugit; utrumque Pisistrati filium data caussa, et reperta opportunitate, de medio tollere ipsis propositum erat, ac Panathenaeorum festa, quae instabant, tempus, quo facinus committerent, destinaverant, ut narrat Thucydides, cujus locus, qui huc ut referretur, dignus mihi visus est: — Περιέμενον δὲ Παναθήναια τὰ μεγάλα, ἐν ᾗ μόνον ἡμέρᾳ οὐχ ὕποπτον ἐγίγνετο, ἐν ὅπλοις τῶν πολιτῶν τοὺς τὴν πομπὴν πέμψαντας ἀθρόους γενέσθαι. καὶ ἔδει ἄρξαι μὲν αὐτοὺς, ξυνεπαμύνειν δὲ εὐθὺς τὰ πρὸς τοὺς δορυφόρους ἐκείνους. ἦσαν δὲ οὐ πολλοὶ οἱ ξυνομωμοκότες ἀσφαλείας οὕνεκα. ἤλπιζον γὰρ, καὶ τοὺς μὴ προειδότας, εἰ καὶ ὁπωστιοῦν τολμήσειαν, ἐκ τοῦ παραχρῆμα, ἔχοντάς γε ὅπλα, ἐθελήσειν σφᾶς αὐτοὺς ξυνελευθεροῦν. Καὶ ὡς ἐπῆλθεν ἡ ἑορτὴ, Ἱππίας μὲν ἔξω ἐν τῷ Κεραμεικῷ καλουμένῳ μετὰ τῶν δορυφόρων διεκόσμει, ὡς ἕκαστα ἐχρῆν τῆς πομπῆς προϊέναι. ὁ δὲ Ἁρμόδιος καὶ ὁ Ἀριστογείτων, ἔχοντες ἤδη τὰ ἐγχειρίδια, ἐς τὸ ἔργον προῄεσαν. καὶ ὡς εἶδόν τινα τῶν ξυνωμοτῶν σφίσι διαλεγόμενον οἰκείως τῷ Ἱππίᾳ, (ἦν δὲ πᾶσιν εὐπρόσοδος ὁ Ἱππίας,) ἔδεισαν καὶ ἐνόμισαν μεμηνῦσθαί τε, καὶ ὅσονοὐκ ἤδη ξυλληφθήσεσθαι. τὸν λυπήσαντα οὖν σφᾶς, καὶ δι' οὗπερ πάντα ἐκινδύνευον, ἐβούλοντο πρότερον, εἰ δύναιντο, προτιμωρήσασθαι· καὶ, ὥσπερ εἶχον, ὥρμησαν εἴσω τῶν πυλῶν· καὶ περιέτυχον τῷ Ἱππάρχῳ παρὰ τὸ Λεωκόριον καλούμενον, εὐθὺς ἀπερισκέπτως προσπεσόντες. καὶ ὡς ἂν μάλιστα δι' ὀργῆς, ὁ μὲν ἐρωτικῆς, ὁ δὲ ὑβρισμένος, ἔτυπτον, καὶ ἀποκτείνουσιν αὐτόν. καὶ ὁ μὲν τοὺς δορυφόρους τοιαυτίκα διαφεύγει ὁ Ἀριστογείτων, ξυνδραμόντος τοῦ ὄχλου, καὶ ὕστερον ληφ-

(1) Thucyd. l. I. Cap. 54.

θεὶς, οὐ ῥᾳδίως διετέθη· Ἁρμόδιος δὲ αὐτοῦ παραχρῆμα ἀπόλλυται (1). Quantis laudibus, et divinis quasi honoribus Athenienses in posterum prosecuti sint Harmodium et Aristogitonem, carmina, in primis illud Scolion, quod dicitur, quodque illorum in honorem, Panathenaeorum in festo, et in conviviis recitabatur, testantur abunde (2); item statuae ex aere a celeberrimis Graeciae statuariis confectae, et ubique, praecipue in foro positae, indicant Athenienses eos majoribus laudibus quam alios magnos cives, prosecutos esse (3): etiam posteris illorum in perpetuum omnium tributorum et vectigalium immunitas concessa, et servos eorum nominibus insigniri decreto vetitum est (4).

§ 3.

De reliquis Pisistratidis.

Thessalus tertius Pisistrati filius haud magnam cum nominis, tum rerum gestarum famam adeptus est, et Thucydides unus fere, quantum scimus, ejus mentionem facit: Καὶ οὐκ ἴσασιν, ὅτι Ἱππίας μὲν, πρεσβύτατος ὢν, ἦρχε τῶν τοῦ Πεισιστράτου υἱέων. Ἵππαρχος δὲ, καὶ

(1) Thucyd. l. l. Cap. 56 et 57.

(2) Hoc, item alia ejusmodi Scolia exstant ap. Athenaeum Lib. XV. pag. 334. B.

(3) Cf. Plinius Lib. XXXIV. Cap. 8. quas statuas a Xerxe bello Persico ablatas postea Atheniensibus reddidit Alexander Magnus. Cf. Arriani Lib. III. Cap. 16.

(4) Cf. Aul. Gell. IX. Cap. 2.

Θεσσαλὸς, ἀδελφοὶ ἦσαν αὐτοῦ; et alio loco: Θεσσαλοῦ μὲν, οὐδ' Ἱππάρχου, οὐδεὶς παῖς γέγραπται κ. τ. λ. (1). Filiam ejus, quippe nihil, ne nomen quidem constat, hic silentio praetermittere possumus. De Hegesistrato, qui his, ut supra vidimus, vulgo additur, parum constat: Herodotus breviter ejus mentionem facit: Σίγειον, τὸ εἷλε Πεισίστρατος αἰχμῇ παρὰ Μιτυληναίων· κρατήσας δὲ αὐτοῦ, κατέστησε τύραννον εἶναι παῖδα τὸν ἑωϋτοῦ νόθον Ἡγησίστρατον, ὄντα ἐξ Ἀργείης γυναικός (2). Hippiam quoque postea, patria pulsum, ad eum, saltem Sigeum pervenisse auctor est Herodotus. De reliquis Pisistratidis, quum procul dubio etiam hoc nomine illorum, quos supra recensuimus, liberi contineantur, ut hic dicamus, cum et mentio a scriptoribus facta haud adeo magna sit, et hic illic mentionem jam fecerimus, necessarium nobis non videtur.

---

(1) Thucyd. Lib. I, 20. et Lib. VI, 55. Pauca etiam v. c. fortem fuisse, et natu minimum Pisistrati filium refert Heraclides Ponticus *in fragmentis περὶ πολιτειῶν.*

(2) Herod. V, 94.

CAPUT II.

DE QUAESTIONE UTRUM HIPPIAS AN HIPPARCHUS NATU MAJOR FUERIT ET PISISTRATO MORTUO SUCCESSERIT.

Superest quaestio gravissima, utrum Hippias an Hipparchus post patrem regnaverit: quam duplici de caussa, cum ob veterum ipsorum jam dissensionem, tum ob imperfectam, quae superest, temporis notationem, multis difficultatibus obnoxiam, hic exponere inutile non erit; praesertim quod Meursius, qui hanc quaestionem dissolvendam sibi sumserat, multa quae desiderarentur, reliquit; quin etiam, perversa veterum scriptorum interpretandi ratione, in plerisque lapsus esse videtur. Neque tamen hoc ideo dictum quisquam existimet, ut plane novi quid a nobis proferatur, sed ut Meursium a recta interpretandi ratione aberrasse modeste et vere ostendatur.

Hujus autem quaestionis rite dissolvendae caussa, Meursii rationes, quibus utitur minime contemnendis, nec tamen veris, sigillatim sequemur, et ut hic Thucydidis, ita nos Meursii argumenta refellere conabimur, ipsa indicantes loca quibus lapsus, et perversam interpretandi rationem iniisse videtur.

Meursii argumentationis divisio hujusmodi est: Primo, ipsum jam indicatur veterum scriptorum dissidium, et Platonis, Aeliani, aliorumque quibus favet, quorumque sequitur sententiam, contra Thucydidis, Scholiastae Aristophanis, Polyaeni et Libanii loca, defenditur et vindicatur auctoritas; deinde singula Thucydidis loca, e quibus quidquam in suam sententiam afferri possit, colliguntur et perstringuntur; et postremo, nonnullorum veterum excitatur scriptorum auctoritas, ex quibus, uter Pisistratidarum necesse fuerit tyrannidem obtinuisse, ostenditur, exque eorum rebus gestis ab iisdem scriptoribus commemoratis Hipparchus etiam tyrannidis fuisse particeps conficitur et comprobatur. Ad hanc itaque quaestionem a Meursio excitatam rite dissolvendam, quadruplici instituta responsione, argumentorum justa explicatione, scriptorumque allata auctoritate breviter eam refutabimus.

Primum igitur quod a nobis refutetur, est quod Meursius Thucydidis aliorumque scriptorum auctoritatem Platoni, Aeliano aliisque postponat: quae difficultas facile nunc tollitur, quod Hipparchi nomine inscriptum dialogum Platonis non esse nunc inter omnes constat (1): Heraclidem Ponticum, cujus auctoritate praecipue ejus nititur disputatio, et Clidemum apud Athenaeum prudenti interpretatione usus, fa-

---

(1) Cf. Boeckh. *In Platonis, qui vulgo fertur, Minoem.* Qui post F. A. Wolfium et Schleiermacherum, illum dialogum spurium, nec Platonis ingenio atque orationi aptum esse ostendit. Cf. Harlesii Brevior Notitia Literat. Graec. Cap. I. Sect. III. pag. 170.

cile persuadebo non esse in istam sententiam explicandos. Ceterorum autem scriptorum laudes, fides et auctoritas, cum jam ipsius Platonis in dubium vocata sit, quae recenseantur, necessarium non esse videtur; et Aeliano non temere Aristophanis scholiastam, ceterosque scriptores opponere dubitamus. Quae secundo loco affert Meursius, nimirum omnes Hippiae res gestas primum post fratrem interfectum locum habuisse, eorum hic minor ratio habenda esse videtur, quod, cum nullus veterum scriptorum hanc Pisistratidarum historiam dedita opera exposuerit, tantummodo quae fratris caedem secuta sunt, non item quae tyrannidem antecesserunt, enumerari possint. Tertio ipsa afferuntur Thucydidis loca, quae utpote sententiae adversaria a Meursio perstringuntur: quae hic, ipsis verbis indicatis, breviter contra Meursium tuebimur.

Primus Thucydidis locus, quem perstringit Meursius, est ubi diligentissimus et acutissimus scriptor, praeterquam quod brevi ante se aliis jam melius audivisse testetur (εἰδὼς μὲν καὶ ἀκοῇ ἀκριβέστερον ἄλλων, ἰσχυρίζομαι (1), exemplis etiam suam defendere conatur sententiam: nimirum Athenarum in arce collocata erat ara et cippus in tyrannidis memoriam, in qua primus Hippias post patrem nominatur, et nullius neque Thessali, neque Hipparchi recensentur liberi, sed Hippiae quinque: hinc Thucydidis reprehendendi occasionem arripit Meursius dicens: » Primae

(1) Thucydides Lib. VI. Cap. 55.

» certe rationes sunt invalidae. Neque enim quia » liberos solus habuit, ideo ille et duxisse uxorem » primus, et fuisse primogenitus est dicendus: tum, » uxorem ut primus duxerit, neque sic valere ar- » gumentum potest: nam, quam saepe usu venit, » ut aut, coelibe primo genito, nuptias secundus » contrahat; aut secundus ineundo matrimonio pri- » mogenitum antevertat." Ad quam Meursii refutationem, ceteroquin haud contemnendam, haec dicenda existimavimus: Non hoc voluisse prudentissimum scriptorem, ut videretur solus Hippias liberos habuisse: sed de hoc uno constare in illis monumentis, quippe tyrannis maxime hunc unum, ejusque filios spectaret, quum neutrius de reliquis filii in spem successionis nati essent, itaque neglecti etiam in illa inscriptione. Quae cum librarius aut Grammaticus fortasse non intelligeret, stupidam apposuit explicationem, deinceps in textum receptam: *εἰκὸς γὰρ ἦν τὸν πρεσβύτατον πρῶτον γῆμαι* (1). Sequitur in Thucydide: *καὶ ἐν τῇ πρώτῃ στήλῃ πρῶτος γέγραπται, μετὰ τὸν πατέρα, οὐδὲ τοῦτο ἀπεοικότως, διὰ τὸ πρεσβεύειν τε ἀπ' αὐτοῦ, καὶ τυραννεῦσαι.* Et ne hoc quidem sine probabili ratione: sed subjicitur simile interpretamentum in tersissimo scriptore non ferendum *διὰ τὸ πρεσβεύειν τε ἀπ' αὐτοῦ, καὶ τυραννεῦσαι.*

---

(1) Thucyd. Lib. VI. Cap. 55. Nimirum sunt haec ejusdem generis, cujus illud scholion, quod merito ridet Wyttenbachius ad Selecta Princip. Historic. pag. 359: neque ulla re magis, quam veterum interpretum sedula opera corruptus videtur Thucydides.

Tertia sequitur reprehensio, cujus argumentatio haec est: » Etsi dignitas principatus summa esset » penes Hipparchum, natu maximum, tamen om- » nes Pisistrati filios communiter tyrannos dictos; » et rempublicam, a parente occupatam quam acce- » perant, consiliis semper inter se communicatis ad- » ministrasse; ita ut hic novum nihil, aut inusita- » tum antea, quamlibet natu minori, Hippiae acci- » derit. Ac tyrannos communi nomine appellatos » tradit scholiasta Aristophanis (1). Κοινῶς δὲ πάντες » οἱ Πεισιστρατίδαι τύραννοι ἐλέγοντο." Ad quam argumentationem, quam justa quoque aliis visa fuerit, tamen quaedam animadvertenda sunt, quae in medium proferemus. Primo nobis valde mirum visum est, hoc in primis fugisse Meursium, quod alia ratione τύραννοι omnes Pisistratidae dicerentur, quippe quorum veluti gens imperabat, ac potentiae praesidiis stipata erat; alia solus Hippias appellaretur tyrannus, atque ex Thucydidis sententia hoc titulo privandus esset Hipparchus, quippe tum de eo agitur, cujus unius nutu et auctoritate gerebantur omnia, imperii tantum specie, et splendore cum reliquis communicato. Caeterum Meursius immerito Pausaniam neglexit, cujus locus quin accuratissime Thucydidis referat sententiam, dubitari nequit: multo minus Herodoti auctoritas spernenda fuerat, qui et ipse τυράννους appellat Hippiam solum post Hipparchum caesum regnantem, et diserte Hipparchum appellat Pisistrati filium, Hippiae tyranni fratrem.

(1) Aristophanis Scholiasta ad Vespas vs. 500.

Quarta quae sequitur reprehensio ex scriptorum, qui ex Pisistratidarum operibus utrumque horum, ideoque etiam Hipparchum tyrannidis participem fuisse tradunt, excitata auctoritate desumta est, quae, superiorum ratione habita, quam debilis atque infirma sit, non est quod ostendatur: quibus, his scriptoribus quoque adeo magnam fidem non esse habendam si addiderimus, utpote suam quoque ex aliis petivere notitiam, nulla erit, quae secundum Meursium offendat in Thucydide repugnantia.

CAPUT III.

DE SUBLATO PISISTRATIDARUM IMPERIO.

Post mutua inter se factionum molimina, ut altera alteram tolleret, Pisistratum tamen prae caeteris e medio tollere tentabant, et hoc unice spectabant Alcmaeonidae, et implacabili erga tyrannos odio, magnaque, quam fere semper habebant, virium potentia semel, quod sibi proposuerant, perpetrassent, nisi fraude pariter ac dolo eorum insidiis se subduxisset Pisistratus. Quod igitur patre vivente facere non potuerunt, sub liberorum imperio, ut tyrannidem minuerent, tollerent et plane exstirparent, quamquam infelici primum, demum aliorum ope feliciore eventu contigit illis. Harmodii enim et Aristogitonis conamina, ut Hippiam simul et Hipparchum interficerent, non communi tyrannidis odio, ut multi arbitrantur, sed privatis potius rationibus attribuenda esse censeo (1). Audiamus itaque Herodotum qui prae aliis breviter et vere hocce Alc-

(1) Quod Herodotus lib. VI. Cap. 123. inprimis confirmare videtur: *Τὰς 'Αθήνας οὗτοι* (Alcmaeonidae) *ἔσαν οἱ ἐλευθερώσαντες πολλῷ μᾶλλον, ἤπερ 'Αρμόδιός τε καὶ 'Αριστογείτων, ὡς ἐγὼ κρίνω· οἱ μὲν γὰρ, ἐξηγρίωσαν τοὺς λοίπους τῶν Πεισιστρατιδέων, "Ιππαρχον ἀποκτείναντες. κ. τ. λ.*

maeonidarum describit consilium: Ἱππίεω τυραννεύοντος, καὶ ἐμπικραινομένου Ἀθηναίοισι, διὰ τὸν Ἱππάρχου θάνατον, Ἀλκμαιωνίδαι, γένος ἐόντες Ἀθηναῖοι, καὶ φεύγοντες Πεισιστρατίδας, ἐπεί τέ σφι ἅμα τοῖσι ἄλλοισι Ἀθηναίων φυγάσι πειρωμένοισι κατὰ τὸ ἰσχυρὸν, οὐ προεχώρεε κάτοδος, ἀλλὰ προσέπταιον μεγάλως, πειρώμενοι κατίεναι τε καὶ ἐλευθεροῦν τὰς Ἀθήνας, Λιψύδριον, τὸ ὑπὲρ παιονίης (1) τειχίσαντες, ἐνθαῦτα οἱ Ἀλκμαιωνίδαι πᾶν ἐπὶ τοῖσι Πεισιστρατίδῃσι μηχανώμενοι, παρ' Ἀμφικτυόνων τὸν νηὸν μισθοῦνται τὸν ἐν Δελφοῖσι, τὸν νῦν ἐόντα, τότε δὲ οὔκω, τοῦτον ἐξοικοικοδομῆσαι· οἷα δὲ χρημάτων εὖ ἥκοντες, καὶ ἐόντες ἄνδρες δόκιμοι ἀνέκαθεν ἔτι, τόν τε νηὸν ἐξεργάσαντο τοῦ παραδείγματος κάλλιον, τάτε ἄλλα, καὶ συγκειμένου σφι Πωρίνου λίθου ποιέειν τὸν νηὸν, Παρίου τὰ ἔμπροσθεν αὐτοῦ ἐξεποίησαν. Ὡς ὦν δὴ οἱ Ἀθηναῖοι λέγουσι, οὗτοι οἱ ἄνδρες, ἐν Δελφοῖσι κατήμενοι ἀνέπειθον τὴν Πυθίην χρήμασι, ὅκως ἔλθοιεν Σπαρτιητέων ἄνδρες, εἴτε ἰδίῳ στόλῳ εἴτε δημοσίῳ χρησόμενοι, προφέρειν σφι τὰς Ἀθήνας ἐλευθεροῦν (2). Lacedaemonii saepius ejusmodi oraculo admoniti tandem, nulla nec societatis, nec hospitii, quo cum Pisistratidis erant conjuncti, habita ratione, expeditionis suscipiendae consilium ineunt, Anchimoliumque ducem cum classe copiis instructa Alcmaeonidis auxilio mittunt (3).

---

(1) Sine dubio hic latet vitium: quid enim Paeonia longissime in Macedoniam remota cum Attica commune habeat? hic igitur, duce Wesselingio, ex Suidae et Hesychii auctoritate, pro ὑπὲρ παιονίης omnino legendum existimamus ὑπὲρ Πάρνηθος. Πάρνης Atticae mons erat, supra quem Lipsydrium Alcmaeonidae exsules munierunt. Cf. Wesseling ad h. l.

(2) Herod. V. Cap. 62 et 63.

(3) Herod. l. l.

Hic Phalereum in portum cum appulisset, copias educit; at Pisistratidae, vix hac re cognita, a Thessalis, quibus quoque hospitii necessitudine sociati erant, statim petunt auxilia: quibus missis Anchimolium cum exercitu ad internecionem usque delent (1). Hac tamen clade nihilominus non deterriti, sed animis magis exacerbatis, rem adgrediuntur iterum Lacedaemonii, missoque Cleomene Rege, et majoribus cum copiis, neque mari ut prius, Atticam invadunt regionem: Thessalorum equitatus primum cum eis manum conserit tali eventu, ut ex mille equitibus, quos cum rege Cinea miserant, supra quadraginta occiderentur, reliqui superstites in Thessaliam refugerent (2). Cleomenes simul Athenas petens, obsidebat tyrannos qui in arcem confugerant: qui quippe melius quam pro obsidione essent instructi, Lacedaemonii facilius a proposito abducti fuissent, nisi graviore quodam casu res plane essent immutatae, ut narrat Herodotus: Ὑπεκτεθείμενοι δὲ ἔξω τῆς χώρης, οἱ παῖδες τῶν Πεισιστρατιδέων ἥλωσαν· τοῦτο δὲ ὡς ἐγένετο, πάντη αὐτέων τὰ πρήγματα συνετετάρακτο· παρέστησαν δὲ ἐπὶ μισθῷ τοῖσι τέκνοισι, ἐπ' οἷσι ἐβούλοντο οἱ Ἀθηναῖοι· ὥστε ἐν πέντε ἡμέρῃσι ἐκχωρῆσαι ἐκ τῆς Ἀττικῆς (3).

Tali igitur auxilio freti, Hippiam, rebus desperatis, urbe cedere cogunt. Hic itaque Sigeum ad fratrem, ut supra vidimus, Hegesistratum abiit ὑπόσπονδος, unde tamen Lacedaemonii facti poenitentia,

(1) Herod. l. l.
(2) Herodotus Lib. V. Cap. 64.
(3) Herod. V, Cap. 65.

quippe ab Alcmaeonidis decepti, Hippiam revocare et in imperium restituere conabantur, quodque etiam successisset ipsis, nisi Sosicles Corinthiorum legatus vehementer se opposuisset (1). Hinc iterum cum abiisset, Amyntas Macedonum rex Anthemynthen, et Thessali Jolcum dare ipsi cum vellent, neutrum horum accipere voluit, sed Lampsacum ad Aeantidem generum, cui Archedicen filiam, ut supra vidimus, in matrimonium dederat, se contulit (2): hinc ad Darium, Persarum regem, quocum, expeditione in Graeciam suscepta, in Marathonium campum cum venisset, proelio commisso, jam grandis aetatis senex cecidisse videtur (3).

Pisistrati itaque et Pisistratidarum historiam pro viribus tractavimus: quae, priorum temporum ratione habita, quibus regum et Archontum imperio tyrannidem deinceps succedentem vidimus, mirum quid prae se fert, quod tam perturbato temporis spatio tamdiu stare potuerit, praesertim si ante oculos habeamus

(1) Plutarch. de Herodoti malignitate Cap. 23. collato Herodoto V, Cap. 93.

(2) Herod. V. Cap. 94. Hoc tamen Hippiae revocandi consilium, a Lacedaemoniis agitatum, diu post suam expulsionem, et demum post Clisthenem inter et Isagoram dissensiones locum habuisse, ostendit Doct. P. Epkema in Dissert. *de Aristide etc.* Cap. 1. pag. 17.

(3) Vid. Meursius. Cap. 19. Hippiae enim interitus in proelio Marathonio nulla apud Graecos Scriptores reperitur mentio: ex recentioribus unus Cicero breviter narrat ad Atticum. IX. Ep. 10. » Nefa» rius Hippias, Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit, ar» ma contra patriam ferens." Caeterum Hippiam hac pugna salvum et incolumem evasisse, et in insula Lemno demum mortem invenisse, ut nonnulli volunt, parum probabilitatis videtur habere.

eam a levissimo Athenarum populo nunc abjectam et vituperatam, nunc revocatam et exoptatam fuisse: magnam ideo ejus vim non tantum in vitam civilem, omnemque reipublicae gubernandae rationem, verum in mores quoque civium, indolem, et omnem vitam privatam fuisse, facile inde colligitur. Quibus concessis, non temere statuere poterimus cultus, humanitatis, adeoque literarum et doctrinarum plane novam illuxisse lucem: haec igitur tractare a proposito et argumento cum haud alienum sit, ad ultimam nostrae disputationis partem nos conferemus, qua *Literarum Conditio* tempore Pisistratidarum, ut in introductione diximus, tractabitur.

PARS III.

DE LITERARUM CONDITIONE TEMPORE PISISTRATIDARUM.

CAPUT I.

POËSIS EPICA.

§. 1.

Homerus.

Temporibus, quibus humani ingenii cultum quodammodo exorientem, crescentem, properantique magis ad graviora procedentem videmus gradu, accedit proxime Pisistratidarum aetas; quae futurae jam Graecorum in literis excellentiae manifesta exhibebat vestigia in illis antiquiorum monumentis, quae partim, quantum scimus, integra, partim fragmentorum instar ad nos pervenerunt. Haec est illa, quae in magna rerum publicarum et civilium turbatione, animorum discordia, hominumque barbara fere vitae ratione interdum protulit viros, qui civium sensa ad mansuetam magis vivendi rationem revocare, legibus et institutis mitiores reddere, artium doctrinarumque studio excolere, boni, pulcri, hones-

tique sensu imbuere, pro temporibus, eorum animos sunt conati. In horum numero qui ponuntur, Pisistratidas principem tenere locum, tota eorum, quae vulgo vocatur tyrannis, satis superque ostendit. Qui praeter clementem satis et benignam Athenarum administrationem omnia ad civium animos excolendos sunt moliti, utque morum honestatisque sensum cives inter promoverent, viros doctrina et eruditione claros, Athenas ut venirent, invitarunt. At singula haec, quae diximus, peculiariter de his disputandi satis amplus cum relinquatur campus, missa faciemus, statimque ad Homerum nos conferemus; non quia hujus poetae historia in Pisistratidarum incidit aetatem, ut quisque novit, sed quod ejus carmina hisce praesertim temporibus, ex vulgari saltem opinione, ut infra videbimus, suum debent ortum, excoli propagarique inceperunt.

§. 2.

Omnium etiam remotissimae antiquitatis monumentorum, quae ad nostram pervenerunt memoriam, principem certo locum obtinent Homeri Carmina. Omnes enim, et Poetae et Philosophi et Oratores, verbo omnes omnium artium, doctrinarumque studiosi ex his tanquam *fonte perenni* sua quisque hauserunt. Attamen, et temporum et historiae ratione habita, nullus fuit scriptor, praeter Homerum, de cujus carminum integritate, et authentia quae dicitur, magis disputaverunt, dubiique haeserunt et antiquiores et recentiores. Et profecto gra-

vissimae, eaedemque etiam nunc perscrutatione dignissimae exstant caussarum rationes, ob quas verosimilis non tantum, sed necessaria etiam reddatur ejusmodi dubitatio. Nam quis fuit Homerus, quando, et ubi vixit, et quî ejus carmina, scriptone an memoriae mandata ad nos pervenerunt? obscura sane haec, et densa tanquam tenebrarum caligine obducta sufficiunt, ut ejusmodi dubitationibus suffrageris. Multi iidemque gravissimi cum remotioris tum recentioris aetatis viri has multis difficultatibus obnoxias quaestiones tractare cum cuperent, in conjecturis tantum et magna probabilitate acquieverunt, ad veritatem nondum pervenerunt.

Quamquam solerti et paene dixerim divino judicii acumine, multiplicique doctrina ex antiquis Zenodotus, Aristophanes, Aristarchus aliique Homeri carmina congesserunt, tentaverunt et explicuerunt; quamquam magno studio, sagacitate et eruditione Wolfius, Heynius, alii, ut multos nostrae aetatis omittamus, suam quisque opinionem, et hypotheses, quae dicuntur, defendit, satisque justis stabilivit argumentis; utrimque tamen neminem horum nudam simplicemque assecutum esse veritatem ex ipsorum testimonio facillime colligitur. Et hoc nemini, modo non prorsus antiquitatis ignaro, mirum videatur; nam neque historiae, qua duce ejusmodi quaestiones ad liquidum perducantur, neque antiquitatis Scriptorum, ne Aristotelis quidem, qui proxime huic accedit aetati, ullum hodie superstes habemus testimonium, et fortasse ne ipsi quidem habuerunt; qui ceteroquin omnes suis laudibus cumulantes Homerum pro-

cul dubio, ut jam multi animadverterunt, aliquid saltem his de rebus memoriae prodidissent. At, dixerit quis, quorsum igitur haec tam multa de Homero? quia profecto haec praemittenda duximus, ne quis nos in hoc studio versantes, et gravissima omittentes, aut negligentiae, aut temeritatis argueret; deinde quod a nobis Homeri studium Pisistratidarum quale fuerit tempore tractaturis, in medio relinqui possent, postremo ne jam acta agere videremur.

§ 3.

Ex multa igitur quaestionum serie, quae de Homero ejusque carminibus instituuntur, quaeque hoc illove modo a doctis viris tentatae sunt, unum hoc Homeri carmina a Rhapsodis perpetuo decantari solita sic ad nos pervenisse, a nemine nec antiquiorum, nec recentiorum (quod magis mirum) in dubium vocari videmus. Et sane graviora, quominus facerent, obstabant scriptorum testimonia; nam Herodotus, etsi de Homericorum carminum conditione et fortuna deditâ operâ non disserat, Rhapsodos tamen poetae carmina cantantes cognovisse videtur, uti patet ex Clisthenis historia qui » 'Ραψῳδοὺς ἔπαυσε ἐν Σικυῶνι ἀγωνίζεσθαι τῶν Ὁμηρείων ἐπέων εἵνεκα, ὅτι Ἀργεῖοί τε καὶ Ἄργος τὰ πολλὰ πάντα ὑμνέαται" (1), et item auctor Jonis dialogi, qui vulgo Platonis nomine fertur, hos aliosque id genus homines ludit et perstringit sub Socratis persona.

(1) Herod. V, 67.

Ab his igitur non Homeri tantum, sed et Hesiodi aliorumque carmina, omneque Epicum genus, mox Lyricum quoque et Jambicum decantata esse nos docet Plato sub hospitis Atheniensis persona ita disserens: *Εἰκός που τὸν μέν τινα ἐπιδεικνύναι, καθάπερ Ὅμηρος, ῥαψῳδίαν, ἄλλον δὲ κιθαρῳδίαν, τὸν δέ τινα τραγῳδίαν, τὸν δ' αὖ κωμῳδίαν* (1). Magnae quoque sit utilitatis omnem Rhapsodorum historiam enarrare, eorum conditionem et fortunam describere, omnemque carminum recitandorum ritum exponere, nisi jam alii hoc facere conati essent, et nuperrime de iis docte egisset Cl. Nitzschius. Peculiari igitur de his iterum disputatione instituta supervacuam nos inituros opinamur rationem. Unum tamen de rhapsodis in nostra disputatione quod habeamus ante oculos, hoc est: » Probabile esse, rhapsodos, quum raro Homeri carmina tota persequi potuisse videantur dum alter alterum exciperet, saepius singulos, nunc hinc, nunc illinc exorsos in varios locos desiisse, ita tamen, ut cujus carminis quaeque essent partes, auditores bene scirent. Hunc particulatim recitandi morem eo magis increbuisse, quo magis tota carmina lectione innotuissent. Hinc factum, ut Grammatici, quum Iliadem et Odysseam in aequalem librorum numerum descripsissent, his rhapsodiarum adderent nomen." (2)

---

(1) De Legib. II. pag. 658. ex recens. Bekkeri.

(2) Cf. Cl. Nitzschius in Quaestione Homerica IV. *de rhapsodiarum separatim inventarum compage dubitationes* Cap. I. § 5. pag. 18.

§ 4.

Quum autem, in alto veterum silentio, nihil, parum saltem cognitum sit de arte scribendi, neque quidquam certi hac de re statui possit, statim gravis nobis quaestio, unde haec Rhapsodis innotuerint carmina, oboriatur necesse est. Iis enim, quae de Homeridis, utpote perpetuis horum carminum possessoribus, memoriae mandata sunt, fidem habere et difficile, et, in testium penuria, periculosum est. Tutius quodammodo quid confici potest de horum carminum conditione ex Plutarcho, qui Lycurgum peregrinantem, inque Cretam insulam venientem haec, cum parum adhuc Graecis Europaeis innotuissent, ibi collegisse et describenda curasse ait: »Ἐκεῖ δὲ, (ἐν Κρήτῃ) καὶ τοῖς Ὁμήρου ποιήμασιν ἐντυχὼν πρῶτον, ὡς ἔοικε, παρὰ τοῖς ἐκγόνοις τοῖς Κρεωφύλου διατηρουμένοις, καὶ κατιδὼν ἐν αὐτοῖς ταῖς πρὸς ἡδονὴν καὶ ἀκρασίαν διατριβαῖς τὸ πολιτικὸν καὶ παιδευτικὸν, οὐκ ἐλάττονος ἄξιον σπουδῆς, ἀναμεμιγμένον, ἐγράψατο προθύμως, καὶ συνήγαγεν ὡς δεῦρο κομιῶν. Ἦν γάρ τις ἤδη δόξα τῶν ἐπῶν ἀμαυρὰ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν· ἐκέκτηντο δ' οὐ πολλοὶ μέρη τινὰ, σποράδην τῆς ποιήσεως, ὡς ἔτυχε, διαφερομένης· γνωρίμην δὲ αὐτὴν καὶ μάλιστα πρῶτος ἐποίησε Λυκοῦργος (1). Quae Plutarchi verba ad suam stabiliendam sententiam ita interpretatur Wolfius, quasi Lycurgus per rhapsodos in patriam secum adductos haec carmina cum suis communicaverit civibus. Nitzschius, qui ex corrupto Aeliani loco (non

---

(1) Plutarch. in vita Lycurgi Cap. 4.

enim Plutarchi verba memorat) hanc vulgarem esse opinionem tradit, plane Wolfii opinioni adversatur dicens : » nihil in Lycurgum cadere, nisi ut Epicos » aliquot cantores Spartam deductos opinemur" (1). Ex quibus verbis, quantum ex ejus disputatione assequi potuimus, de rhapsodis Homeri carmina canentibus hoc intellectum plane nolit vir Clarissimus. At quinam nisi rhapsodi cogitandi sunt? caremus ipsius viri Clarissimi explicatione.

At multo gravior, majoremque quae exhibeat difficultatem, hic agitari possit quaestio, quomodo demum post trecentorum annorum intervallum simile quid facere potuerit Pisistratus? Ex Wolfii aliorumque sententia, qui Pisistrato uni has laudes tribuunt, detrahuntque Lycurgo, ejusmodi disputatio, litis dissolvendae caussa, institui possit: societatis copulam, quae per trecentos illos Lycurgum inter et Pisistratum annos conjunxerit Graecos, exiguam admodum, omnisque necessitudinis vinculum arctissimis circumscriptum fuisse finibus, ut nihil probabilitati repugnet, nihilque obstet, quominus Pisistratus tale quid facere potuerit. Et ex Nitzschii de Lycurgo opinione, quam modo vidimus, ejusmodi quid Pisistratum facere potuisse cum colligatur; omnis tamen ejus disputatio in longe alia flecti videtur; nam ut Lycurgo nihil, sic Pisistrato parum quod tribuatur ostendit » nihil in Lycurgum cadere — quidni eadem probabilitatis ratione in Pisistrato utentes omnia amovemus, quae scriptores veteris rhapsodiae

(1) Nitzschius l. l. § 9. pag. 57.

» ignari illius memoriae inepte implicuerunt?" Nobis tamen, quamquam in plerisque Nitzschii sententiam sequimur, minime probari potuit, quid virum Clar. impulerit, ut Plutarchi locum supra allatum, ex quo multum hic lucis elici possit, temere neglexerit, et sufficientem nullam, unde rhapsodis Homeri carmina innotuerint, caussam indicaverit (1).

§ 5.

Ex omnibus autem iis, quae disputavimus de Homericorum carminum conditione, deque tempore quo Graecis innotuerint, ea facile sequi posse videntur, quibus Pisistrati, quaecunque etiam sint, in Homerum collata contineantur merita. Quod quo melius intelligatur, ipsa scriptorum loca excitabimus, quae, utpote tres sunt, quibus potissimum hae laudes attribuuntur, in tres classes dividemus.

I. Quae Pisistratum auctorem facere videntur:

Cicero de Orat. III, 34. Quis doctior iisdem illis

---

(1) Nam quod in exordio pag. 5. dixit: » Praeter alia vero hoc » temperamentum Wolfianae sententiae adhibitum videbimus, ut Iliada » et Odysseam multo prius, quam illi visum sit, certam quamdam for- » mam habuisse, Wolfiani ipsi concedant. Nos quod ab illis concessum » est, additis nonnullis ad historiam criticam Homeri symbolis confir- » mabimus." Ex his quodammodo quidem confici possit ejus sententia, at parum constanti nobis disputatione satisfecisse videtur. Neque ex iis quae in fine hujus Commentationis § 12. pag. 45. disputavit, » Sunt » enim haec, quae adhuc complexi sumus, ita quidem comparata, ut » Homericorum carminum consummationem ad priora longe tempora » rejiciendam videamus," majori cum probabilitate colligatur, quodnam tempus significaverit, quo haec carmina sive dispersa, sive in unum corpus collecta innotuerint Graecis.

temporibus, aut cujus eloquentia litteris instructior fuisse traditur, quam Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus.

Aelianus Var. Histor. XIII. 14. Ὕστερον δὲ Πεισίστρατος συναγαγὼν, ἀπέφηνε τὴν Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν.

Libanius Paneg. in Julian. T. I. pag. 385. Ἀπηλλάττετο δῶρον λαβὼν, ὃ μόνος βασιλέων δέδωκας, ἔπη τὸν ἄνδρα μηνύοντα. εἰ δὲ Πεισίστρατον ἐπαινοῦμεν ὑπὲρ τῆς τῶν ἑτέρῳ πεποιημένων συλλογῆς, ποῦ θήσομεν τὸν Ὁμήρου μιμητήν;

Idem Apol. Socrat. T. III. pag. 25: Καὶ Πεισίστρατος μὲν ὁ μάλιστα σπουδάσας περὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν, οὐδένα τῶν πώποτε ἀπέκτεινε λαβὼν ἔπους ἐπιλαμβανόμενον, εἰκὸς δὲ πολλὰ τοιαῦτα γεγονέναι τῶν Ὁμήρου συλλεγομένων.

II. Qui Hipparcho soli vel una cum eo patri favere videntur.

Auctor Dialogi Hipparchi nomine inscripti pag. 228. B. Ὃς ἄλλα τε πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα σοφίας ἀπεδείξατο, καὶ τὰ Ὁμήρου ἔπη πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνί, καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς Παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διϊέναι, ὥςπερ νῦν ἔτι οἵδε ποιοῦσι.

Pausanias Achaic. VIII, 26. §. 6. Πεισίστρατον δὲ, ἡνίκα ἔπη τὰ Ὁμήρου διεσπασμένα τε καὶ ἄλλα ἀλλαχοῦ μνημονευόμενα ἠθροίζετο, ἢ αὐτὸν Πεισίστρατον, ἢ τῶν τινὰ ἑταίρων μεταποιῆσαι τὸ ὄνομα ὑπὸ ἀγνοίας.

Suidas in voce Ὅμηρος. — Ὕστερον συνετέθη καὶ συνετάχθη ὑπὸ πολλῶν, καὶ μάλιστα ὑπὸ Πεισιστράτου, τοῦ τῶν Ἀθηναίων τυράννου.

Idem Aelianus qui, ut supra vidimus, uni patri, alio loco Hipparcho assignat VIII. Cap. 2. Ἵππαρχος ὁ Πεισιστράτου παῖς, πρεσβύτατος ὢν τῶν Πεισιστράτου, καὶ

σοφώτατος ἦν Ἀθηναίων. Οὗτος καὶ τὰ Ὁμήρου ἔπη ἐκόμισε πρῶτος εἰς τὰς Ἀθήνας, καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς τοῖς Παναθηναίοις αὐτὰ ᾄδειν.

III. Unus qui Solonis partes tueri videtur:

Diogenes Laërtius in vita Solonis I, 57. Τὰ δὲ Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον· μᾶλλον οὖν Σόλων Ὅμηρον ἐφώτισεν ἢ Πεισίστρατος, ὡς φησι Διευχίδας ἐν πέμπτῳ Μεγαρικῶν. κ. τ. λ.

Ex his Scriptorum locis, si diligenter compares, pauca sunt quae eliciantur: loquuntur, vel potius audivisse videntur de quadam horum carminum conformatione; omnes enim, unum dialogi Hipparchei auctorem si excipias, dubitanter disserunt. Quid enim est cui credas, qui nunc Pisistrato, nunc Hipparcho, uti fecit Aelianus, haec tribuere videtur? ceteris quoque haud magna fides tribuenda est (1). Nos si sententiam palam proferre audeamus, unum Hipparchum harum laudum participem esse dicamus; quippe duae in primis sunt rationes, quae nobis persuadeant: prima est, quod omnis Hipparchi vita a rerum publicarum administratione aliena et plane otiosa fuerit: altera, quod Herodotus calculum adjicere videatur Hipparcho, quem etsi non Homericorum, Musaei tamen vaticiniorum studiosum facit (2). Quam autem Pisistrati circa Homerum curam scrip-

(1) Quippe alter alterum secutus esse videtur, modo Aeliani locum Lib. VIII, 2. conferamus cum dialogi Hipparchei loco citato, quorum in utroque plane eadem occurrunt.

(2) Herod. VII, 6.

tores illi, quos memoravimus, privatam esse volunt, ad publicam nos retulerimus institutionem; atque quae illi ad omnem Homerum pertinere dicunt, non nisi partem spectare crediderimus. Argumenta, quae nos, ejusmodi ut ineamus viam, adducunt, haec sunt.

Pisistratus qui in contentione de insula Salamine adversus Megarenses certissime magnas, ut supra vidimus, gessit partes; versus quosdam Homericos, ex quibus Salaminis insulae potestatem penes Athenienses semper fuisse patebat, Navium catalogo inserendos, Rhapsodis subornandos, publicisque inscribendos monumentis curasse videtur (1).

Praeterea eum alios Athenarum celebrandarum gratia locos ex Homero desumsisse credibile est, quos, cum ipsa eorum brevitas, quominus recitarentur, prohiberet, publico quodam ac celebri loco sive tabulis sive hermis insculptos proponi jussisse conjicias (2). Et nisi forsitan serius repererat, qui partes ad Minervae Athenarumque famam insignes exhiberent, omnino interesse videbatur, ut carmina illa magis celebrarentur. Multa enim iis inerant tum

(1) Plutarchus in Sol. Cap. 10. Qui Solonem Navium Catalogo versus inserentem inducit. Sed nihil obstat, quominus etiam Pisistratus hoc fecerit, saltem facere jusferit.

(2) Quod quo magis tunc temporis, et etiam postea in primis locum habuisse credamus, ut res gestae, publica auctoritate, hermis sive aliis monumentis inscriberentur, facit Plutarchi auctoritas, qui in vita Cimonis Cap. 7. simile quid post pugnam apud Strymonem fluvium gestam, victoriamque de Persis reportatam a Graecis factum esse tradit, et inscriptiones hermis istis insculptas posteritati servavit.

quae populo maximeque optimatibus placerent, tum quae ipsius, qui a Nestore genus repeteret, nomen ornarent. Ergo prudentia pariter atque elegantia ductus, rhapsodorum numero aliquo publice vocato, et nunc demum in Panathenaea ita deducto, ut totus Homerus ibi audiretur, primus quodammodo poëtam in Atticam recepisse dici possit (1). Nam jam ante Pisistratum, etsi fortasse non Athenis, alibi tamen cognita fuisse, evidentissima convincunt testimonia; Cynaethus quippe, ut afferamus exemplum, qui Pisistratidarum aetati suppar fuerit necesse est, jam Syracusis Τὰ Ὁμήρου ἔπη ῥαψῳδῆσαι narratur (2) et, teste Herodoto, Κλεισθένης — ῥαψῳδοὺς ἔπαυσε ἐν Σικυῶνι ἀγωνίζεσθαι τῶν Ὁμηρείων ἐπέων εἵνεκα (3).

Denique alia argumentandi ratio, cur a vulgari discedamus opinione, haec est, quod cum hic illic de rhapsodorum informatione, de carminum recitandorum, aliorumque, quae huc pertineant, institutione aliquam injectam esse videamus mentionem, ea nisi obscura, admodum certe lubrica habenda sint, incerto quippe Scriptorum nituntur testimonio. Nam locus Scholiastae Pindari, ex quo plerique sua hauserunt de horum carminum conditione: Τῆς Ὁμήρου ποιήσεως μὴ ὑφ' ἓν συνηγμένης, σποράδην δὲ ἄλλως καὶ κατὰ μέρη διῃρημένης, ὁπότε ῥαψῳδοῖεν αὐτὴν, εἱρμῷ τινὶ καὶ ῥαφῇ παραπλήσιον ποιεῖν, εἰς ἓν αὐτὴν ἄγοντας (4), ejus-

(1) Cf. Nitzschius Comment. laud. § 9. pag. 57.
(2) Cf. Schoell. *Geschichte der Griechischen Literatur*. Tom. I. pag. 111.
(3) Cf. Herod. V, 67.
(4) Ad Pindari Nem. II, 1.

modi est ut multum de horum carminum conditione disputari possit; et multi disputarunt, quorum hic argumenta recensere opus non est (1).

At graviora, quaeque plane a viris doctis neglecta sunt, duobus continentur Herodoti locis: priore II, 116. Κατάπερ ἐποίησε ἐν Ἰλιάδι (καὶ οὐδαμῇ ἄλλῃ ἀνεπόδισε ἑωυτὸν); altero VII, 6. ἐξηλάσθη γὰρ ὑπὸ Ἱππάρχου τοῦ Πεισιστρατίδεω ὁ Ὀνομάκριτος ἐξ Ἀθηνέων, ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλοὺς ὑπὸ Λάσου τοῦ Ἑρμιονέος ἐμποιέων ἐς τὰ Μουσαίου χρησμὸν κ. τ. λ. Quae duo loca, nisi me omnia fallant, quin de scripturae genere, qualicunque etiam, accipiantur aliter fieri non potest; nam verba ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλοὺς quomodo aliter explicanda sunt quam de fraude quadam ab Onomacrito commissa inserendo quaedam in Musai vaticiniis? nemo certe hanc fraudem ad recitationem retulerit.

Praeter haec alia sunt: quod apud optimos quosque Scriptores, ubi de Homeri carminibus sermo est, nusquam rhapsodiae, sed vel nudum Homeri, vel Iliadis aut Odysseae nomen indicatur (2). Haec pauca sunt ex quibus optime perspici possit quam parvi ista facienda sint Pisistrati circa Homeri studium merita, quamque arctis contineantur finibus: his docti Angli, plane a vulgari opi-

(1) Cf. Nitzschius §. 5. pag. 19. Qui uberius hunc locum explicat, Wolfiique adversatur de hoc loco opinioni.

(2) Cf. Nitzschius §. 3. pag. 12. qui optimi cujusque Scriptoris loca v. c. Herodoti IV, 29. Thucyd. 1, 9. Platon. de rep. III. pag. 392. D. et Aristot. de poet. Cap. 24, *&*. attulit.

nione dissentientis, si addiderimus sententiam, nemo nos temere disputasse dixerit. » Ipsum Pisistratum grammatici et critici officio functum esse, et Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse, ut jam inde exstiterint, Cicero e quodam rumore incerto tradidit. Complures apud Posteros eadem repetierunt, sublata omni dubitatione; ut solent homines in ejusmodi rumoribus tradendis; dum inviti etiam, naturali quodam impetu, feruntur in augendo et ornando et pro compertis et indubitatis venditando, quaecunque e traditionibus obscuris et incertis acceperint. At neque Herodotus, neque Thucydides, neque Plato, neque Aristoteles, qui tot de Homero, de Pisistrato et filiis ejus memoriae prodiderunt, tanta in poetam beneficia nosse omnino videntur. Aristoteles autem, vir rerum antiquarum peritissimus, laudes in Homerum cumulat ob pulcram carminum dispositionem, et artificiosam compagum structuram; neque unquam suspicatus est, eas laudes ad eorum redactorem Pisistratum, non ad poetam, jure pertinuisse. Fabula nihilominus sic crevit eundo, ut e fama tenui et obscura inter Aristotelis et Ciceronis aetatem orta, ac variis deinde circumstantiis paullatim aucta et ornata, Judaeorum tandem somnia de sacrorum librorum interpretatione aemulata sit; atque Pisistratus, quemadmodum postea Ptolemaeus Philadelphus LXXII Grammaticorum opera usus, inter quos Zenodotus et Aristarchus praecipuum locum obtinerent, Homerica carmina sparsa

» aut deperdita collegisse et in duo corpora redegis-
» se crederetur." (1).

§. 6.

Ex his omnibus, quae de hac Homericorum carminum conformatione, de rhapsodorum conditione, Pisistratique in haec carmina laudibus attulimus, quam lubrica tamen et dubiis obnoxia sint, quisquam, etiam sine mea disputatione, facile agnoverit; at quam multum in omni antiquitatis perscrutatione, justa monumentorum, et prudens Scriptorum valeat interpretatio, vix dici potest. Hanc igitur pro viribus secuti, quamvis ulteriori etiam explorationi subjici posset, quae sit opinio nostra, non est quod dicamus. Pauca quidem Pisistrati in ipsum Homerum fuisse merita credimus; sed, re diligenter explorata, temporis ejusque progressuum ratione habita, ex hac, qualicunque etiam publica Pisistrati circa Homerum cura, quin isti debeatur tempori, quod haec vetustatis monumenta, ut et alia magis innotuerint, artium doctrinarumque studia efflorescere inceperint, et futurae Graecorum magnitudinis semina inde repetenda sint, non est quod inficias eamus.

---

(1) Cf. Payne Knight in *Prolegomenis ad Homerum* §. 4.

§. 7.

Epimenides.

Ad Poësin Epicam, quae ipso hoc tempore floruisse etiam dicitur, ultimus ex Epico, qui vulgo dicitur, Cyclo pertinere videtur Epimenides Cnossius ex insula Creta. Hic Olymp. XLVI, a. C. N. 596. veniebat Athenas, ut urbem magna peste afflictam lustraret; vel, quod verosimilius est, ut, rogante Solone, Atheniensium animos ad novam ab ipso promulgandam legislationem praepararet. Magnas sane ejus erga Athenas fuisse laudes conjicias ex Plutarcho, ubi de eo dicit: Ἐλθὼν δὲ, καὶ τῷ Σόλωνι χρησάμενος φίλῳ, πολλὰ προυπειργάσατο καὶ προωδοποίησεν αὐτῷ τῆς νουθεσίας. καὶ γὰρ εὐσταλεῖς ἐποίησε ταῖς ἱερουργίαις, καὶ περὶ τὰ πένθη πρᾳοτέρους, θυσίας τινὰς εὐθὺς ἀναμίξας πρὸς τὰ κήδη, καὶ τὸ σκληρὸν ἀφελὼν καὶ τὸ βαρβαρικὸν, ᾧ συνείχοντο πρότερον αἱ πλεῖσται γυναῖκες (1). Hic Poeta celeber et vates, quem nonnulli etiam in septem Sapientum numerum referunt, carminibus suis et scriptis magnam adeptus est nominis famam.

Praeter oraculorum responsa (χρησμοὺς) et carmina expiatoria (καθαρμοὺς), Cretensium quoque Theogoniam, sive Curetum et Corybantum γένεσιν καὶ θεογονίαν, et Argonautica sive Ἀργοῦς ναυπηγίαν τε καὶ Ἰάσονος εἰς Κόλχους ἀπόπλουν, ut et de Minoë et Rhada-

(1) Plutarchus in vita Solonis Cap. 12. Cujus de Epimenide, prae illa Diogenis Laërtii narratione, amplexi sumus sententiam.

manthо cecinisse dicitur. Et si Diogeni Laërtio fidem habemus, prosa oratione de Sacrificiis (περὶ θυσιῶν), et Epistolam ad Solonem scripsisse fertur (1). Horum tamen omnium non nisi abruptae quaedam versuum particulae ad nos pervenerunt, ex quibus insignis ille a Paulo Apostolo servatus hujusmodi sit:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. (2).

---

(1) Cf. Diog. Laërt. in Epimen. I, 110. seqq. Quod tamen ad epistolam illam ad Solonem scriptam pertinet, cum et ipsi veteres ex Diogenis verbis de ea dubitasse videantur, ea prorsus sequimur, quae supra pag. 42. nota 1. de simili Pisistrati ad Solonem epistola adnotavimus. De Epimenide etiam ex recentioribus conferri meretur S. C. F. Heinrich, *Epimenides aus Kreta* Lips. 1801, 8, quod opusculum tamen nobis ad manum non fuit.

(2) Cf. Schoell. in Oper. laud. Tom. I. pag. 136.

CAPUT II.

Ut persequamur, quae nobis proposita sunt, haud inutile erit monere nos eam tantum historiae doctrinarum partem esse spectaturos, quae a Solone, in quo nova literarum aetas exorditur, initium habet; eamque incipientem ab anno a. C. N. 594 producemus usque ad finem hujus seculi sive ad 500 annum (1). Scriptores, quorum hic faciemus mentionem, plurimi quum sint poetae, ex singularum poëseos partium divisione recensebimus eos, et quidem ita ut primum spectaturi simus Elegiaci, deinde Lyrici, postremo Dramatici generis poetas, quibus recensitis addemus verbum de locis quibusdam ex historia artium petitis.

POËSIS ELEGIACA.

§. 1.

Ut ad tempora Solone priora duo in primis referuntur poëseos Elegiacae genera: Elegia bellica, in qua Callinus praesertim et Tyrtaeus, et amatoria, in qua Mimnermus eminuerunt; ita aetate Solonis, et quae illam secuta est, novae duae exstiterunt Ele-

(1) Secuti sumus in Historiae doctrinarum divisione opus Amplissimi F. Schoell. Version. Germ. supra. laud.

giae propagines, altera a Gnomis quae nomen habet, Elegiae nomine, quam propriam dicimus, insignitur altera (1). Hujus generis poëtae hoc in primis consilium iniisse videntur, ut civium animos ligatae orationis junctura et rhytmi gratia, utpote majorem vim habente, delinirent exhortationesque suas, quae Gnomarum nomine celebratae sunt, versibus pangerent; ac tale argumentum maximam partem poësis Gnomica continuisse videtur. Licet alii, quod et hic memoretur necesse est, omnia quae Gnomicae poësi subjiciantur, ad peculiarem poëseos Elegiacae partem, (quippe nulli neque carminis formae, neque dialecto propriae adstricta) relata nolint, sed Gnomicam eam intelligunt poësin, quae jam ex Homeri, in primis Hesiodi Tragicorumque operibus hic et illic hauriatur (2). Poëtas, ad hoc poëseos genus qui pertinent, et ad hanc aetatem referuntur, singulos deinceps recensebimus.

§ 2.

Solon.

Solon, Salamine insula oriundus, floruit Athenis Olymp. XLVI, 3. a. C. N. 594. Hic unus ex celeberrimis antiquitatis viris si ob praeclaram, qua Athenae floruerunt, legislationem magnam adeptus

(1) Cf. Schoell. pag. 170.

(2) Cf. Fr. Passow. *in. Jahrb. der Philol. u. Pädagog.* 1826. I. 153. seqq.

est nominis famam, haud minorem gloriam laudibus poëticis sibi conciliasse ut credamus, perducimur testimonio Platonis qui de eo dicit ἀνδρὸς καὶ νομοθετῆσαι δυνατοῦ, καὶ περὶ ποίησιν καὶ φιλοσοφίαν διατετριφότος (1). Ex Gnomis ejus, quae generoso simplicique commendantur orationis genere, perpauca ad nos pervenerunt fragmenta, quibus exhortationes plerumque ad virtutem colendam, animique perturbationes regendas continentur. Sed quo minus de hoc viro plura dicamus, faciunt cum quod eius notitia nemini ignota esse debeat, tum aliorum libri, in quibus et carminum fragmenta, et de poëticis ejus laudibus indagationes inveniuntur (2).

§ 3.

Theognis.

Theognis Megarensis Olymp. LVIII anno circiter a. C. N. 550, exsul vivebat Thebis. Ex ejus carminibus, quorum non nisi fragmenta pauca eaque hic illic apud antiquos Scriptores dispersa reperiuntur, de laudibus ejus poeticis tuto judicium ferri nequit: praesertim quod ex his etiam multa sunt

(1) Plato in Dialogo Timaeo pag. 21.

(2) Praeter antiquiorum studium duae nuper prodiere disputationes, quae conferri merentur: Altera Specimen Literar. de *Solonis laudibus poëticis* Doct. C. A. Abbing. Traj. ad Rhen. 1825. Altera *Solonis Athen. Carmina quae supersunt*, *praemissa comment. de Solone poëta* disp. emend. atque annot. instrux. Doct. N. Bachius Bonnae 1825. utriusque censura reperitur in Bibl. Crit. Nov. Vol. I.

quae Soloni et Tyrtaeo ab aliis, vel Phocylidi iterum ab aliis tribuuntur (1). In sententiis ejus (γνώμαις) adfatur Cyrnum quemdam juvenili ardore exsultantem, eumque in iis ad virtutis sapientiaeque excolendae studium, ad pietatem erga Deos, et in eligendis amicis ad prudentiam, ad hilarem denique vitae rationem, in fugaci praesertim juventutis aetate, exhortari atque commovere videtur (2).

§ 4.

Phocylides.

Phocylides Milesius, Theognidis aequalis, ut plerumque nomine cum hoc conjungitur, ita opera utriusque horum vulgo una recensentur, uti patet ex Isocrate: σημεῖον δ' ἄν τις ποιήσαιτο τὴν Ἡσιόδου καὶ Θεόγνιδος καὶ Φωκυλίδου ποίησιν (3). Cum autem ne in Phocylide quidem de poëmatum praestantia judicari liceat sic; ut observavimus in Theognide, tamen ex Isocratis verbis quae illa, quae laudavimus, proxime sequuntur, quodammodo criterium quoddam deduci possit: καὶ γὰρ τούτους φασὶ μὲν ἀρίστους συμβούλους γεγενῆσθαι τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων. Sententiarum fragmenta apud veteres dispersa reperiuntur Scriptores, nam majoris ambitus ποίημα νουθετικόν, falso ad

(1) Cf. Fabric. Bibl. Graec. I. pag. 706. Edit. Harl. ibique in notis.
(2) Schoell. Op. laud. pag. 171.
(3) Isocrates Oration. ad Nicoclem. in fin.

illum relatum, recentioris aevi scriptionem sapere creditur vulgo (1).

§ 5.

Xenophanes — Pythagoras.

Xenophanes Colophonius, patriâ relictâ, Eleam Magnae Graeciae civitatem se contulit Olymp. LVIII a. C. N. 548. ibique scholam condidit philosophiae. Praeter alia carminum genera, sententiarum scriptione, quibus sapientiae praestantiam prae Physices viribus exercitationibusque gymnasticis celebrat, magnum adeptus est nominis splendorem. Una cum hoc memoretur necesse est Pythagoras Samius qui Olymp. circiter LX. a C. N. 540. floruit in Italia.

Ut hic vario variarum doctrinarum genere excelluit, multumque ad futurum et Graecorum et Romanorum ingenii excolendi studium contulit, haud minore Poëtices studii facultate insignis fuit. Carminum ejus non nisi fragmenta quaedam supersunt; nam aurea carmina (χρυσᾶ ἔπη), licet egregias continent sententias, non claro huic philosopho, sed recentiori Pythagorae attribuenda censemus (2).

§ 6.

Simonides Ceus.

Simonides ex insula Ceo, Leoprepis filius, circiter

(1) Cf. Schoell. pag. 173.
(2) Schoell. l. c.

Olymp. LVIII. a. C. N. 548. Athenis Hipparchi familiaritate usus esse dicitur. Ut carminibus, ita inprimis moribus, principibus suae aetatis viris acceptissimus erat. Magnam adeptus nominis famam singulari et plane novo carminis genere, quod Elegias proprie ita dictas complectebatur, quarum multae in lugubri versabantur argumento (1). De laudibus ejus poëticis, ut judicium feramus, attulisse suffecerit Quinctiliani testimonium: » Simonides » tenuis alioqui, sermone proprio et jucunditate » quadam commendari potest: praecipua tamen » ejus in commovenda miseratione virtus, ut qui» dam in hac eum parte omnibus ejus operis aucto» ribus praeferant" (2) Cujusmodi judicis testimonio assumto mirum videri nequit, nos ejus carminum jacturam dolere (3).

---

(1) Hic tamen monendum videtur Simonidem Elegiae i. e. carminis hexametro et pentametro constantis inventorem non fuisse, quippe quo jam Mimnermus multis ante eum annis usus erat, sed ipse illud carmen Elegiam vocavit, frequentique magis usu hoc nomen servavit. Cf. Schoell. pag. 174.

(2) Institution. Orat. X, 1, § 64. Edit. Frotscheri.

(3) Carminum reliquiae reperiuntur in Stobaei florilegio.

CAPUT III.

POËSIS LYRICA.

§ 1.

Rerum publicarum incrementa, omnemque illarum conditionem in privatas semper res magnam exercuisse vim nemo est qui negaverit. In literarum doctrinarumque studia quam habuerint etiam his temporibus, perspicue docent immutationes, quas institutis Olympiae ludis, indeque nova exorta temporis computatione subierunt quaedam Graeciae civitates. Ex quo enim unice quasi dominata est poësis Epica alia nunc eaque omnium subtilissima Poësis Lyrica efflorescere coepit: et ut illa unius dominationis formae, ita populari imperii statui adstricta erat haec. Ad libertatis sensum omnia referebant, patriae felicitatem, civium officia, et amicitiae suavitates cantabant, publicaque populi et sacra Deorum festa, ut et res civium illustres celebrabant Poëtae (1).

De singulis autem ejus, in quas divisa erat, partibus, deque propria et peculiari cujusque partis forma et indole quominus dicamus, magna Lyrico-

(1) Cf. Schoell. pag. 185.

rum, quorum fere non nisi fragmenta quaedam supersunt, impedit jactura (1).

§ 2.

Stesichorus.

Primus ex hoc poëseos genere, qui a nobis spectetur, est Stesichorus ex urbe Himera Siciliensis. Floruit Olymp. L anno a. C. N. circiter 570. tempore Phalaridis Agrigentinorum tyranni, cui quam maxime adversatus est. Poëticam ejus facultatem, etiamsi carmina perierint, ut cognoscamus, attulisse suffecerit Quinctiliani locum, ubi, licet ornate, vere tamen de eo dicit: » Stesichorum, quam sit ingenio validus, materiae quoque ostendunt, maxima bella et clarissimos canentem duces et epici carminis onera lyra sustinentem. Reddit enim personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem, ac, si tenuisset modum, videtur aemulari proximus Homerum potuisse etc." (2).

Carmina ejus Lyrico-epica, Ἰλίου πέρσις, quod poëma Quinctilianus ante oculos habuisse videtur, et Ὀρεστεία, cujus meminit Scholiastes Euripid. ad Orestem vs. 41., Dorica fuerunt conscripta dialecto. Hymnos cecinit in deorum honorem, et odas, quibus veterum heroum certamina (ἆθλα) sunt exposita: Car-

(1) Diligens satis Lyricae poëseos partium divisio reperitur in Opere laud. Schoell. pag. 185 et seq.

(2) Institut. Orator. X, 1. § 62.

minum quoque in laudem puerorum (παιδικῶν) inventorem eum exhibet Athenaeus: Καὶ Στησίχορος δ' οὐ μετρίως ἐρωτικὸς γενόμενος συνέστησε καὶ τοῦτον τὸν τρόπον ᾀσμάτων. ἃ δὴ καὶ τὸ παλαιὸν ἐκαλεῖτο παιδιὰ καὶ παιδικά (1).

§ 3.

Ibycus Rheginus.

Hic Simonide antiquior, Anacreontis et Stesichori aequalis, ex maxime probabili computandi ratione Olymp. LVI, 3. a. C. N. 552. in Samo insula versatus est temporibus Polycratis. Unus ex praeclarissimis hujus aetatis poëtis, quem maxime omnium flagrasse amore ex carminibus ejus apparere dicit Cicero, unde et postea eum ἐρωτομανέστατον vocavit Suidas. Septem carminum sive μελῶν libros, teste Suida, dialecto Dorica, ut et Ganymedis raptum et Pithonem scripsit. Invenit praeterea Ibycus instrumentum Musicum σαμβύκην dictum (2), et quoddam carminis genus, ab eo *Ibycium* dictum, quo amores suos cecinerit; quod tamen ideo Ibycium appellandum non videtur nonnullis, quasi Ibycus invenerit, quum jam ante eum Homerus usurpaverit,

(1) Deipnosoph. XIII. pag. 601. Cf. item Fabr. Bibl. Graec. Vol. II. pag. 151 seqq. ubi diligens etiam carminum, quae Stesichoro a veteribus tribuuntur, reperitur enumeratio. Nuperrime Stesichori fragmenta collegit O. F. Kleine Berol. 1828. Vid. Jahn *Jahrb. für Philol. und Pädag.* Vol. IX. Part. II. pag. 132 seq.

(2) Suidas in voce σαμβύκαι.

sed quod frequentem ejus usum adhibuerit (1). De ejus vita, in primis morte, utpote a gruibus detecta, quae narrantur plurima fabulis sunt adscribenda. Epigramma graecum, quod Antipatro Sidonio tribuitur, quodque hanc rem spectat, totum exhibetur in Erasmi Adagiis (2).

§ 4.

Anacreon.

Anacreon ex Joniae civitate Teïo Olymp. circiter LXII, 1. a. C. N. 530. patriâ puer relictâ, Samo in insula apud Polycratem vixisse dicitur: cujus post mortem ab Hipparcho, teste Platone, navi quinquaginta remorum Athenas arcessitus una cum Simonide amicitiae vinculo conjunctus in aula hujus literarum amantissimi principis degit, et magno ab eo in honore est habitus (3). Quo mortuo iterum Teïum in patriam, vel ut alii volunt, Abderam Thraciae urbem se contulit, ibique senex mortuus est. Anacreontis poësis, ut Cicero Tusc. Disp. IV, 33. ait, tota est amatoria, quare nemini mirum videatur eum tam saepe a principibus viris expetitum fuisse. Carmina, paucis exceptis, summa se commendant suavitate, grata simplicitate, et naturali quadam pul-

(1) Fabric. Bibl. Graec. II. pag. 125.
(2) Voce Ἰβύκου γέρανοι pag. 724.
(3) Cf. Dialogi Hipparchi perperam Platoni attributi pag. 228. C.

critudine (1). Ex parvo poëmatum numero, quae ad nos pervenerunt, pauca tantum ipsi attribuenda videntur, licet tamen ei omnia cum aliis abjudicare nolimus. Ex poëmatibus, quae scripsit dialecto Jonica, haec a veteribus recensentur: Ἐλεγεῖα καὶ Ἴαμβοι, παρόινιά τε μέλη, καὶ τὰ καλούμενα Ἀνακρεόντεια: hymni quoque et Epigrammata quaedam Anacreontis nomine feruntur (2). Maxime in hilari Lyricae poëseos genere, quo παίγνια cecinerit, eminuisse dicitur, in quo primus novo usus est metri genere, quod ab ipso nomen accepit Anacreonticum, quodque ex optimorum metricorum sententia Jonico a majore et anacrusi constat (3). Horum carminum collectio ipsa poëtae aetate, vel saltem brevi post quinque libris facta periit; quaeque hodie reliqua habemus, Constantino cuidam Cephalae seculi X scriptori debemus, qui ea Anthologiae suae inseruit sub titulo: Ἀνακρέοντος Τηΐου Συμποσιακὰ ἡμιάμβια καὶ Ἀνακρεοντικὰ καὶ τρίμετρα. Ex cujus tituli inscriptione omnia haec Anacreonti attribuenda non esse perspicue patet, sed nonnulla recentioris temporis antiquioribus illis inserta fuisse, cum oratio, tum dialectus quam maxime indicat (4).

---

(1) Schoell. Op. cit. pag. 190.
(2) Fabric. Bibl. Graec. Vol. II. pag. 93.
(3) Schoell. pag. 189.
(4) Schoell. ibidem.

§ 5.

Lasus Hermionensis.

Lasus Hermionensis, Dithyramborum scriptor celeberrimus, Olymp. LXVIII, 1. a. C. N. 508. vixit Athenis una cum Onomacrito in aula Hipparchi, ut patet ex Herodoto: ἐξηλάσθη — ὁ Ὀνομάκριτος — ἁλοὺς ὑπὸ Λάσου τοῦ Ἑρμιονέος κ. τ. λ. (1). Primus dithyrambos in ludos publicos induxit, et effecit ut huic carminum generi, psephismate publice facto, praemia proponerentur. Cantabantur a Choris, inde κύκλίοις χοροῖς dictis, circa aram Bacchi in circulo saltantibus (2). Hymnos eum et odas scripsisse, rhytmos in dithyrambicam rationem transtulisse, et antiquae musicae invexisse mutationem narrat Plutarchus (3).

§ 6.

Simonides Ceus.

Idem Simonides, cujus supra cap. praeced. § 6. inter poetas Elegiacos fecimus mentionem, hac in parte poëseos tam insignem adeptus est nominis famam, ut vel Grammatici Alexandrini eum Lyrico-

(1) Herod. VII, 6.
(2) Schoell. pag. 195.
(3) De Musica Tom. X. pag. 682. Reiskii.

rum canoni adscriberent. Ex hoc genere, quamquam majore etiam Elegiae laude inclaruit, servata tamen sunt quaedam, ex quibus eum haud ultimis adnumerandum esse conjicias. Nam Danaës ejulantis Monologia, ut et apud Thermopylas caesorum Graecorum praedicatio, clara Lyricae poëseos habentur monumenta (1).

§ 7.

Scolion Carmen.

Ex Lyrica poësi Scolion carmen, etsi praesertim antiquiori, hoc tamen etiam tempore maxime excultum fuisse ex iis, quae hodie reliqua habemus, monumentis patere videtur. Erat Scolion (σκόλιον ᾆσμα s. μέλος) carminis genus quod (ex vulgari opinione) in conviviis, non ab omnibus simul, sed ita, ut quibus et animus et facultas esset, nunc cithara, nunc lyra cantabatur; et hinc nonnulli nominis significationem, quippe *tortuosum* quid et *obliquum* indicantem, deductam esse volunt. Contra, alii metricas leges secuti ab rhytmo Amphibracio, qui etiam ῥυθμὸς σκολιός vocatur, huic carminis generi nomen venisse putant. Etsi autem, cum jam antiquos inter Grammaticos ea de re lis fuerit, certi quid statui nequeat; facile tamen intelligitur ea fuisse carmina popularia, nullo ordine distincta, neque metricis legibus adstricta. Testimonio sunt ab

(1) Schoell. pag. 196

Athenaeo nobis servata Scoliorum fragmenta (1). Laudibus vini plerumque et convivii Scoliorum continebantur argumenta; in caussis magis seriis interdum etiam laudes Deorum, patriae defensores, virtutem, sanitatem, robur, et odium in tyrannos excitatum complectebantur (2).

Ex numero eorum, qui hujusmodi laudibus inclaruerint, quique ad hoc temporis spatium referantur, sunt perpauci: quum non nisi duorum vel trium nomina ad nos pervenerint. Sunt Timocreon, Simonidis aequalis qui in Plutum, calamitatum omnium humanarum fontem et originem, Scolion peracerbum confecisse dicitur: Carcinus, cujus ut et Callistrati haec, Harmodii et Aristogitonis quae continent laudes, supersunt fragmenta:

Ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω
Ὥσπερ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων,
Ὅτε τὸν τύραννον κτανέτην,
Ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποιησάτην."

Alterum fragmentum, quod, teste Hesychio, Callistrato tribuendum videtur, sic sese habet:

---

(1) Schoell. pag. 143 seq. Item Cludius in *Heerenii* et *Tychsenii Biblioth. der alten Liter. u. kunst* Part. I. pag. 55. ubi σκολίῳ opponitur ὀρθὸν ἔπος: et Santenii nostri *observationes de Scoliis Graecorum* ibid. Part. V. ined. pag. 20 sqq. ubi dicit: » Mihi, quamquam nec ipsi de Scoliorum metro constat, Amphibrachum tamen in » iis solis regnasse, persuasum est; et praeterea eum pedem, propter » intervalli in proportione partium magnitudinem, Musicae quam poeticae aptiorem esse."

(2) Schoell. pag. 144.

Φίλταθ' Ἁρμόδιε, οὔπω τέθνηκας·
Νήσοις δ' ἐν μακάρων σέ φασιν εἶναι,
Ἵναπερ ποδώκης Ἀχιλλεὺς,
Τυδείδην τέ φασι τὸν ἐσθλὸν Διομήδεα.
Ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω
Ὥσπερ Ἁρμόδιος, καὶ Ἀριστογείτων
Ὅτ' Ἀθηναίης ἐν θυσίαις
Ἄνδρα τύραννον Ἵππαρχον ἐκαινέτην.
Ἀεὶ σφῶν κλέος ἔσσεται κατ' αἶαν
Φίλταθ' Ἁρμόδιε, καὶ Ἀριστογείτων,
Ὅτε τὸν τύραννον κτανέτην
Ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποιησάτην (1).

Et si Laërtio fides habeatur, vel ipse Solon carmen Scolion cecinit, quo Pisistrati maxime blanditias, cum populum monet ne vultu nitido et verbis bilinguibus caperetur, spectasse videtur:

Πεφυλαγμένος ἄνδρα ἕκαστον
Ὅρα μὴ κρυπτὸν ἔγχος ἔχων
Κραδίῃ; φαιδρῷ
Προσεννέπῃ προσώπῳ
Γλῶσσα δέ οἱ διχόμυθος
Ἐκ μελαίνης φρενὸς γεγωνῇ (1).

(1) Athenaeus Lib. XV. pag. 695. Casaub. Ad quem locum conferri meretur Schweighaeuser in Animadversionib. Vol. VIII. Cap. 250.
(2) Cf. Diog. Laërt. Lib. I. Segm. 61.

CAPUT IV.

POËSIS DRAMATICA.

§ 1.

A religione ut caussarum multarum origines sunt repetendae, ita ab hac plane pendet ea, quam dicimus, Poësis Dramatica; rudis quidem illa ab initio, sed quae sensim sensimque exculta succrevit, viguit, clarissimaque illa, quae hodie reliqua habemus, miramur, et etiamnum ut exemplar sequimur, reliquit monumenta, quae, quam brevi ad summum in suo quodque genere fastigium adscendere possit natura humana, manifesto docent. Nam ad festa, quae in Deorum maximeque illorum celebrabantur honorem, qui homines agrestes plerumque, sensibusque indulgentes adhuc, suis sibi adstrinxerant beneficiis, ad haec festa, inquam, Poëseos Dramaticae sunt referenda primordia.

Sic Herodotus duo, ex quibus plurimi Dramaticae poëseos originem probare voluerunt, exhibet exempla, quorum in altero Adrastum Sicyonum regem antiquissimum, ut Deum cultum, ejusque *πάθεα τραγικοῖσι χοροῖσι* celebrata videmus (1). Ex

(1) Cf. Herod. V. Cap. 67. item Schoell. in Op. laud. pag. 212. Cui, haec carmina (*χόροι τραγικοὶ*) ita ab Herodoto per Anachronis-

altero Damiae et Auxesiae apud Epidaurios Dearum statuae ab Aeginetis his ereptae, in suamque regionem transportatae, sacrificiis et choris muliebribus (θυσίῃσι καὶ χοροῖσι γυναικηΐοισι) quomodo placentur, facile perspicitur (1). Choros itaque ejusmodi festorum celebrandorum principes fuisse ritus, ex his quae attulimus, exemplis est quod conjicias. Et ut apud Sicyones et Aeginetas, ita his similes apud Athenienses inveniebantur chori, vel potius chororum carmina, quae ut apud alios in aliorum, ita apud hos in primis ad festa in Bacchi honorem celebrata referebantur, maximamque eorum efficiebant partem, quippe quibus Bacchi ortus, expeditiones, ejusque res gestae plerumque continebantur (2).

§ 2.

Duri plerumque et agrestes circa Bacchi imagines a quibusdam circumlatas hi una cum saltatione canebantur chori. Et, licet jam ante Dramaticae poëseos ortum, Lyrica tragici et comici argumenti exstitisse carmina vel ex ipso, quod nobis retulit Herodotus, Sicyonum et Aeginetarum pateat exemplo; nulla tamen his choris actio (δρᾶμα) adfuisse vide-

mum appellata putanti non assentimur duplici de caussa: primum quod ipse sibi statim obloquatur, dicenti: jam ante Dramaticae poëseos originem exstitisse carmina tragici argumenti, ad quae procul dubio haec Sicyonum et Aeginetarum referantur, necesse est; deinde quod nihil, quominus tragici fuerint argumenti, obstare videatur, modo ne eam, quae tragoediae propria est, his tribuamus significationem.

(1) Herod. V, 83.

(2) Cf. Schoell. pag. 213.

tur, seroque demum ab aliquo, sive Bacchanalium ordinator, seu choragus is fuerit, ea celebrandorum festorum ratio invecta est, ut major quaedam immutatio institui, grandioresque a singulis personis rerum agendarum partes suscipi coeperint (1). Quae ejusmodi actionis fuerint argumenta, etiamsi lateat, maximam tamen partem ad ipsam ipsius Dei, sive is Bacchus seu alius fuerit, historiam vel potius fabulas, quae de eo percrebuerant, referenda videntur. Ex his, quaenam Dramaticae poëseos origo, quaeque ejus, ad perfectam magis formam redactae, fuerit divisio in Tragoediam, Comoediam, quibus Drama Satyricum subjicitur, ulterius ut inquireremus, necessarium nobis visum non est (2).

§ 3.

Tragoedia.

Supra quum indicaverimus quibus caussarum rationibus ortum debuerit Poësis Dramatica, pervenimus nunc ad illud temporis spatium, quo ea in Tragoediam et Comoediam disjuncta, separatim hae partes sunt spectandae.

Quod universe de Poësi Dramatica animadvertimus, peculiariter quoque de Tragoedia statuendum videtur: primam ejus originem ab illis repetendam

(1) De triplici Bacchi festo quominus pluribus hic agamus, facit Ruhnkenius, in Auctario Emendation. ad Hesychium v. Διονύσια.

(2) Schoell. pag. 213.

esse conventibus » quos, ut ait Casaubonus (1), ve-
» tustissimi mortales collectis frugibus cogere soliti,
» ut gratias diis acturi sacrificiis operarentur, et la-
» borum quos sustinuerant memoriam posituri, ani-
» mum relaxarent, ac jucunditati se darent. Ibi tum
» homines curis soluti et genio indulgentes ac vino
» pleni, ciendi risus gratia, dicta dicere, aliusque in
» alium scommata jacere, et sua sibi vitia aut inho-
» nesta facta objectare." Quibus igitur finibus hujus Tragoediae ratio circumscribatur, quamque caute hoc nomine insigniri debeat, tum demum intelligimus, cum, non nisi merum Satyrorum ludum, quo omni hilaritatum et festorum generi se dederent, eam fuisse statuamus; at mox, exculto magis hoc ludorum genere, aliam induisse formam, chorosque Scenicos ex hac prodiisse, qui primum ipsius Tragoediae nomine insigniti, deinde ad perfectam magis formam redacti, praecipuam ejus partem effecisse videntur. Et hanc tragoediam, etsi eam non intelligimus, quae nobili triumviratus tempore floruit; Pisistratidarum tamen aetate, quamvis rudia et fere barbara ejus depingantur exordia, quibusdam artis praeceptis definitam, rerumque agendarum partes ex personarum moribus constitutas atque ordinatas fuisse haud temere conjicere possumus. Certius sane hac de re proferri poterat judicium, Phrynichi aliorumque, Aeschyleam qui antecesserunt aetatem, modo ad nos pervenissent fabulae.

Harum Tragoediarum quae fuerint argumenta, ip-

(1) De Satyrica Graecorum Poësi I, 1. pag. 10.

sa, quae mythis repleta erat, nobis indicet aetas: ex mythis, ut res ferebat, plerumque sua hauriebant poëtae. Ex historia, etsi rarius hoc factum credibile sit, Phrynichum tamen unam fabulam Μιλήτου ἅλωσιν hinc desumsisse nobis testatur antiquitas.

§. 4.

Thespis.

Ipsos nunc, qui hoc temporis spatio floruisse dicuntur, excitemus poëtas. Ex his, numero admodum paucis, in censum qui veniant, primus est *Thespis Atheniensis*, (probe distinguendus ab aliis ejusdem nominis poëtis), Solonis et Pisistrati aequalis. Hic fuit primus qui rudem, agrestem, et obscoenam interdum chori conditionem immutaret, ordinaret, et in tragoediae formam redigeret. Nam plane recedimus ab eorum opinione qui Thespidem vel sextum decimum ab inventore tragoediae, quem alii Arionem Methymnaeum, Epigenem Sicyonium alii praedicant, esse voluerunt. Rationes, quae nos impulerunt, licet multum de his in utramque partem disputari possit, graviores nobis exstare videntur (1). Chorum ergo, ut persequamur, quae in-

(1) Animadvertatur ipsum discrimen quod in ipsis scriptoribus, hac de re qui egerunt, reperitur. Exemplo sit locus Suidae in voce: Θέσπις Ἰκαρίου πόλεως Ἀττικῆς, τραγικός. ἑκκαιδέκατος ἀπὸ τοῦ πρώτου γενομένου τραγῳδιοποιοῦ Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τιθέμενος. ὡς δέ τινες δεύτερον μετὰ Ἐπιγένεα. ἄλλοι δὲ αὐτὸν πρῶτον τρα-

cepimus, qui huc usque solus quasi steterat, nullaque ei adjuncta fuerat actio (δρᾶμα), Thespis a pristina forma revocatum tragoediae formâ induit, et adjecit ἐπεισόδιον i. e. histrionem, qui, dum chorus aliquot vicibus quiesceret, per intervalla fabulam de Baccho vel alio Deo aut heröe recitaret. Et sunt hae fabulae quae, tunc temporis Athenis a populo, magno cum applausu audiebantur, ut nos docet Plutarchus: Ἀρχομένων δὲ τῶν περὶ Θέσπιν ἤδη τὴν τραγῳδίαν κινεῖν, καὶ διὰ τὴν καινότητα τοὺς πολλοὺς ἄγοντος τοῦ πράγματος, οὔπω δὲ εἰς ἅμιλλαν ἐναγώνιον ἐξηγμένου, φύσει φιλήκοος ὢν καὶ φιλομάθὴς ὁ Σόλων, κ. τ. λ. (1).

Laudes ejus, licet, si cum posteriorum Aeschyli et Sophoclis conferas, inferiore certe loco sint ponendae, pro temporibus tamen, cultu et conditione populi satis magnae fuisse videntur, Tragicae Camoenae inventor ut haberetur: Suidas eas paucis his verbis complectitur: Πρῶτον μὲν χρίσας τὸ πρόσωπον ψιμμυθίῳ ἐτραγῴδησεν. εἶτα ἀνδράχνῃ ἐσκέπασεν ἐν τῷ ἐπιδείκνυσθαι καὶ μετὰ ταῦτα εἰσηνέγκε καὶ τὴν τῶν προσωπείων χρῆσιν ἐν μόνῃ κατασκευάσας (2).

Thespidis fabulae, teste eodem Suida, a veteri-

γικὸν γενέσθαι φασί. Caeterum, ut Thespidem tragoediae inventorem habeamus, hic attulisse suffecerit Horatii locum in A. P. vs. 275.

» *Ignotum Tragicae genus invenisse Camoenae*
» *Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis.*"

Sed etiam hodie varie cum explicetur, eum, qui plura hac de re scire cupiat, ablegamus ad Cl. Meineke Quaestionum Scenicarum Specim. prim. pag. 7.

(1) Plutarch. in Solone Cap. 29.

(2) Suidas in voce *Θέσπις*.

bus recensentur quatuor: Ἆθλα Πελίου ἢ Φορβάς. Ἱερεῖς. Ἠΐθεοί. Πενθεύς. quorum ne fragmenta quidem supersunt; nam singuli ex his versus apud Plutarchum, Clementem Alexandrinum et Pollucem qui reperiuntur, probabili parum ratione Thespidem auctorem habere videntur (1).

§ 5.

Phrynichus.

Phrynichus Polyphradmonis filius, Thespidis discipulus anno 512. a. C. N. floruisse perhibetur (2). Hic magistri institutum parum promovit, et, non nisi paucis exceptis, iisdem vestigiis institit. Nam Chorum eique adjunctum histrionem, ut a Thespide erant instituti, similiter sine ulla immutatione retinuit. Omnes ejus laudes in eo praecipue versantur quod ornatus immutandi, ut et feminas larvis instructas in scenam introducendi initium fecerit, ut narrat Suidas: Πρῶτος δὲ ὁ Φρύνιχος γυναικεῖον πρόσωπον εἰσήγαγεν ἐν τῇ σκηνῇ (3). Majoris momenti quod haberi possit, est versus trimetri inventio, qui Dramaticae poësi in primis accommodatus fuisse videtur. Saltationes etiam frequentes, quum his in primis de-

(1) De aetate et fabulis Thespidis in primis conferendus est Bentlejus in Responsione ad Censuram C. Boyle Epistolis Phalarideis subjecta.
(2) Schoell. pag. 222.
(3) Suidas in voce Φρύνιχος.

ditus fuerit, suis adjecisse tragoediis, omni verisimilitudine non caret.

Fabulae ejus apud veteres commemoratae a Suida nominantur Πλευρωνία. Αἰγύπτιοι. Ἀκταίων. Ἄλκηστις. Ἀνταῖος ἢ Λίβυες δίκαιοι. Πέρσαι. Σύνθωκοι. Δαναΐδες (1). Phrynichus etiam auctor fuisse videtur Tragoediae, quae, secundum Plutarchum, sumtibus Themistoclis in scenam inducta fuerit postea, quamque Phoenissarum nomine insignitam fuisse conjeceris ex iis quae Scholiastes Aristophanis attulerit ad Vesp. vs. 220 (2). Mileti quoque excidium (Μιλήτου ἅλωσις), licet a Suida alii ejusdem nominis poetae adscribatur, ad hunc Phrynichum auctorem referendum videtur. (3).

Etiam hic commemorari possit ultimo loco Choerilus Atheniensis, sed Pisistratidarum aetatem quum excedere propositum nobis non sit, hunc utpote jam Aeschyli aequalem silentio praetermittimus.

§. 6.

Comoedia.

Omnem tragoediae rationem ejusque originem difficultatibus haud inficiandis obnoxiam supra quum

(1) Suidas ibidem.

(2) Scholiastae locus hic est. Φρύνιχος δὲ ἐγένετο τραγῳδίας ποιητής, ὃς ἔγραψε δρᾶμα Φοινίσσας, ἐν ᾧ μέμνηται Σιδωνίων.

(3) Herodot. VI, 21.

ostensum sit; certo in haud minores cadunt ipsa Comoediae incunabula. Nam cum alii ex Sicilia putent ea esse oriunda, Epicharmumque habeant auctorem, ad Megarenses potius ea referenda, posteaque in Atticâ exculta fuisse credunt alii. Horum utram sequaris opinionem difficultates magnas prae se ferre videtur cum ob gravissimam, quâ ab utraque parte valent, virorum auctoritatem, tum ob difficultates, quae ex temporis notatione oriuntur; quippe vel octoginta annos post tragoediam a Thespide inventam eam prodiisse iterum dicunt alii. Nos facile utrique horum cederemus, nisi unius Susarionis nomen nos retineret. Hunc enim Thespidis aequalem non tantum, sed vel comoedias agentem nobis proponunt antiqui (1). Quarum sola mentio, etiamsi cum illis Cratini, Eupolidis vel Aristophanis conferri non potuerint, Comoediae genus, qualiscunque fuerit, jam tum exstitisse satis arguere videtur. Et Meinekii, originem Comoediae ad Megarenses referentis, si amplectimur sententiam; quaedam inde colligi possint, quibus ad meliorem hujus antiquitatis partis, tenebris caeterum delitescentis, cognitionem quodammodo perveniamus.

Postquam bellum de Salamine insula Megarenses inter et Athenienses, intervenientibus Lacedaemoniis,

(1) Vid. Schol. Dionysii Thrac. p. 748. item Bentl. in respons. ad Boyle. de origin. Comoediae p. 108. seqq. Edit. Groning, ann. 1777. forma quarta.

ad finem esset perductum, magnam popularis dominationis libertatem, quae in Olymp. XLV vel XLVII circiter inciderit necesse est, apud Megarenses exortam, vigere videmus (1). Ex hac Comoediam, popularis imperii sociam, originem traxisse, brevique post Olymp. L et LIV, auctore Susarione, in Atticam immigrasse persuasum sibi habet Meineke (2).

Quid vero statuendum sit de hujus Comoediae ratione et indole in ancipiti positum videtur; at parum excultam eam ab initio et insignem fuisse ex Megarensium moribus, institutis et reip. forma colligi potest; hos enim, ut paucis absolvamus, natura sua proclives in primis fuisse ad omnem conviciorum petulantiam, qua Optimates praesertim carpsisse videntur, vel ex hoc uno conjicias, quod, elegantiori etiam postea exorta inter Atticos Comoedia, Μεγαρικὸν γέλωτα, quo, ut ait Meineke, tum contumeliosam irrisionem, tum ineptum et insipidum jocandi genus designabant, Attici poëtae proverbii loco usurparent (3).

Multo etiam melior Atticae Comoediae ratio ab initio comparata fuisse non videtur. Eamdem enim conviciorum petulantiam, easdem lusuum facetias, quas apud Megarenses, in antiqua Atticorum Comoedia necessario locum habuisse ipsa, quâ exorta fuit, testatur aetas: quum in hoc uno a Megaren-

(1) Plutarch. Solon. Cap. 10.
(2) Meineke Quaestionum Scenicarum Specim. prim. pag. 4.
(3) Hesychius v. γέλως et Meineke l. l. pag. 5.

sium ratione differebant Atticorum lusus scenici, quod versibus erant adstricti.

De Susarione, quem unum hic spectamus, parum nobis innotuit. Philini eum fuisse filium, patriamque habuisse Tripodiscum, Megaridis vicum constat (1). Unde, ut supra vidimus, in Atticam ad Icarios profectus, omnem ibi Comoediae rationem exposuit. Fuit primus qui, teste Scholiasta quodam, Comoedias versibus doceret: τῆς ἐμμέτρου κωμῳδίας ἀρχηγὸς ἐγένετο (2); etsi eas literis perscriptas fuisse non credat Meineke, sed praemeditatas atque ex tempore fusas: quibuscum congruere videtur Aristoteles, qui Comoediam ab initio αὐτοσχεδιαστικὴν et, ut tragoediam ex Dithyrambis, ita hanc ex Phallicis originem duxisse putat: Ἐγένετο οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικῆς καὶ ἡ τραγῳδία καὶ ἡ κωμῳδία. Καὶ ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον, ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικὰ, ἃ ἔτι καὶ νῦν ἐν πολλαῖς τῶν πόλεων διαμένει νομιζόμενα, κατὰ μικρὸν ηὐξήθη (3).

Caeterum de ejus fabulis, ut et de ipsa Comoedia, nihil quum veteribus sit commemoratum, dicere admodum est difficile, praesertim quod octoginta annorum intervallo a Susarione nihil fere nec de Comoedia, nec de poëtis quidquam scripto reperitur; et post illud demum tempus, iterum reviviscente popularis imperii forma, certiora quaedam

(1) Meineke Quaest. Scenic. Spec. prim. pag. 3.
(2) Dionysii Thrac. p. 748.
(3) Aristotel. de Poetic. Cap. 4.

colligi possunt, quae et Comoediae rationem atque conditionem, et poëtas ejus spectant (1).

De aliis Comoediae antiquae poëtis, Euete, Euxenide, Myllo, Chionide, Magnete, Ecphantide et Tolyno, quominus dicamus, ipsum, cui adstricti sumus, impedit temporis spatium: quum hi, ex conjectura maxime probabili, Cratini quidem aetatem antecesserint, Pisistratidis tamen posteriores sint ponendi.

(1) Omnino hic est conferendus Meineke vir Clarissim. Qui primus omnem Atticae Comoediae rationem, fata, ipsorumque Poëtarum vitam, aetatem et scripta magno cum judicio, et industria disposuit.

CAPUT V.

DE LOCIS QUIBUSDAM, QUAE SPECTANT HISTORIAM ARTIUM TEMPORE PISISTRATIDARUM.

§. 1.

Ad partem disputatiunculae nostrae posteriorem, qua brevem doctrinarum tempore Pisistratidarum, dedimus conspectum, pertinere quoque videbatur, ut paucis dissereremus de locis quibusdam, quae, spectant historiam artium hujus aetatis. Iisdem enim caussarum rationibus, quibus literarum, suam quoque debent originem artium monumenta, quae ex hac aetate putantur reliqua.

Difficilis sane tractatio, praesertim cum pauca tantum supersint, et multa, quae antiquissima habentur, non certius ad Pisistratidarum, quam v. c. ad Cimonis aetatem referri posse putemus. Missis itaque iis, quorum aetas rite definiri nequit, haud inutile nobis visum est pauca in medium proferre de iis monumentis, in quae, secundum optimorum auctorum testimonia, majorem minoremve curam impenderint Pisistratidae, quorumque aetas haud temere in illorum historiam cadere demonstrari possit. Neque tamen eo fecimus consilio, ut novi quid proferremus, sed ut nostri propositi finibus

haud neglectis, aliorum nobis reprehensionem non contraheremus, aut negligentiae accusaremur.

§. 2.

Artium doctrinarumque et omnino humanitatis studium sensim, sensimque inter Graecos, in primis Athenienses, oriri atque illucescere quum inciperet, multaque alia convenirent, quae barbariem simul et mores agrestes tollerent; aliter fieri non poterat, quin etiam magnitudinis, splendoris et omnino ornatus cupido eorum invaderet animos. Quum enim huc usque, uti ex Pausania et Plinio liquet, non nisi simplicem naturae imitationem animo sibi informassent, tandem majora susceperunt: exemplum, ex quo appareat, non est quod circumspiciamus, quum praeclarum in ipso hujus Civitatis principe Pisistrato statim sese nobis offerat. Hic enim inter alia, quae sive Atheniensium gloriae prae ceteris augendae, seu suae ipsius nominis famae apud posteritatem servandae caussa susceperat urbis exornandae instituta, magnum et stupendum fere animo sibi informabat consilium summo Olympici Jovis numini splendidum magnificumque aedificandi templum. Quod quale fuerit ex scriptore recentiori quidem illo, fide tamen dignissimo, confici potest. Est nimirum Livii locus, ubi de eo ita loquitur: » Magni-
» ficentiae vero in Deos vel Jovis Olympii templum
» Athenis unum in terris inchoatum pro magnitu-
» dine Dei potest testis esse" (1).

(1) Cf. Livius Hist. XLI Cap. 20. Quin tamen Livius templum

§. 3.

Hoc templum, ut persequamur, quae incepimus, communi fere veterum Scriptorum consensu a Pisistrato aedificari coeptum, non tamen absolutum invenimus. Vitruvii locum, ut probemus, neque alios excitemus, hic attulisse suffecerit. » Namque » Athenis Antistates et Callaeschros et Antimachi- » des et Porinos architecti Pisistrato aedem Jovi » Olympio facienti fundamenta constituerunt" (1). Erat hoc unum ex quatuor maximis totius antiquitatis templis, quum praeter templum Cereris Eleusine, Artemisium Ephesi, et Didymaeum Mileti nullum cum eo conferri queat (2), quodque, secundum Pausaniam, Deucalioni primam suam debuerit originem, quod hic, ex diluvio servatus, in grati animi memoriam condere proposuerat.

§. 4.

Aristoteli hac in parte si fides habetur, (nam etiam quaedam de templi conditione ut diceremus, necesse videbatur) ob caussas in primis Politicas a Pisistrato videtur inchoatum. Ubi enim multa, quibus tyrannis confirmetur, subsidia recenset; ta-

---

non Pisistrateum, sed Antiocheum ob oculos habuerit, dubitari nequit.

(1) Cf. Vitruvius Proöem. Lib. VII.

(2) Cf. Hirt Geschichte der Bauk. bei den Alten part. IV. Sect. I. pag. 150. Cujus ut et aliorum in suo genere praestantissimorum librorum usum, pro solita sua humanitate, mihi concessit Praeceptor aestumatissimus Reuvensius.

lia, quae huc pertineant, dicit: Καὶ τὸ πένητας ποιεῖν τοὺς ἄρχοντας τυραννικὸν, ὅπως ἥτε φυλακὴ τρέφηται, καὶ πρὸς τῷ καθημέραν ὄντες ἄσχολοι ὦσιν ἐπιβουλεύειν. Παράδειγμα δὲ τούτου αἵτε πυραμίδες αἱ περὶ Αἴγυπτον καὶ τὰ ἀναθήματα τῶν Κυψελιδῶν καὶ τοῦ Ὀλυμπίου ἡ οἰκοδόμησις ὑπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν, καὶ τῶν περὶ Σάμον ἔργα Πολυκράτεια· πάντα γὰρ ταῦτα δύναται ταὐτὸν, ἀσχολίαν καὶ πενίαν τῶν ἀρχομένων (1).

Quominus hoc templum absolveretur, subita, et nisi Pisistrato, Reip. certe praematura mors impedivisse videtur; et postea, expulsis Pisistratidis, (nam etiam horum irrita fuerant conamina), sive animus defuerit, sive temporum disciplina, subsidiorumque ratio prohibuerit, nulla ejus perficiendi ab Atheniensibus suscepta sunt consilia (2). Tandem 174 a. C. N. annis Antiochum Epiphanem, Syriae regem, opera in primis Cossutii, nobilis architecti Romani, ejus absolvendi invasit cupido. At licet hic, ut Pisistratus, inchoatum ad finem perducere non potuerit; multa tamen quae cellae magnitudinem et columnarum circa dipteron collocationem, epistyliorum et caeterorum ornamentorum ad symmetriam distributionem spectabant, in primis etiam ad externum hujus templi ornatum contulerit, necesse est (3). Septuaginta autem octo annis post Antiochi Epiphanis mortem, iterum ejus absolvendi agitata sunt consilia, ut narrat Suetonius: » Reges amici, atque so-

(1) Aristotel. Politic. V. Cap. 9. § 4. Edition. Schneideri.
(2) Plutarch. in Solone Cap. ultim.
(3) Vitruvius in praefat. Lib. VII.

chi et singuli in suo quisque regno Caesareas urbes condiderunt, et cuncti simul aedem Jovis Olympii Athenis antiquitus inchoatam perficere communi sumtu destinaverunt (1).

Quidquid iterum in caussa fuerit, quominus suscepto operi finis imponeretur, latet: at hoc certum esse videtur, Hadrianum Imperatorem, quod alii non potuerunt, magna cum nominis fama perfecisse, ut docet Pausanias; qui praeter alia, quae de Hadriano narrat, hujus quoque templi ab hoc Imperatore dedicati mentionem facit: » Τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου Ἀδριανὸς ὁ βασιλεὺς Ῥωμαίων τὸν ναὸν ἀνέθηκε (2); item Spartianus: » Hadrianus —, ad orientem profectus per Athenas iter facit, atque opera quae apud Athenienses ceperat, dedicavit et Jovis Olympii aedem et aram sibi." (3).

§ 5.

Templi rudera tantummodo quum supersint, admodum difficile est de primaria hujus templi structurae ratione ex amussi quid inquirere; difficultatem auget quod, quaecunque temporis sustinuerunt injuriam, ad recentiorem ea pertinuisse curam et studium videntur; ut ne sic quidem ad Antiochi Epiphanis amicorumque regum, de quibus supra mentio est injecta, conamina, saltem haud magna pro-

(1) Sueton. in vita Augusti. Cap. 60.
(2) Pausan. Attic. Cap. 18. Edit. Stereot.
(3) Spartianus. Vita Hadriani Cap. XIII.

babilitate quidquam referri, certe non definiri possit. Temporum et consuetudinis ratione habita aliter fieri non poterat, quin ipsum Pisistrati opus ad genus Doricum, brevibus columnis insigne, quippe aliud in Attica nondum in usu erat, pertinuerit (1). Hic etiam monendum columnas antiquas, quae ab Antiocho fuerant rejectae, a Sulla Romam esse transportatas ad templum Jovis Capitolini exornandum, easque videri Doricas illas Pisistrati columnas fuisse (2). Ex marmore Pentelico inchoatum magnificum prae se ferebat ambitus formam: longitudo enim ad 354, amplitudo ad 171 pedes vulgo refertur (3). Ex conjectura traditur templum fuisse decastylon, visuntur enim ibi septemdecim columnae Corinthiae, quas Hadriani columnas vulgus appellat, easque pertinuisse ad memoratum templum arbitrantur plerique tum ab alias rationes, tum praesertim ex situ (4). Nam fuerunt, et sunt hodieque, qui aliud aedificium ad septemtrionem acropoleos situm Olympicum vocarent, quos recte refellit Stuartius (5). Sed idem, quum has reliquias Stoae

(1) Hirt. l. l. pag. 150. in fine.

(2) Hirt. l. l. pag. 225.

(3) Topography of Athens by Leake Sect. I. pag. 44 et 401.

(4) Cff. Vitruvii Interpp. ad Lib. III. 2. in primis in editione quae nuper prodiit Utini 1827. studiis Simonis Stratico.

(5) Stuartus Vol. I. Cap. 5. Vetus illa opinio adhuc tenetur in Thürmes Ansichten von Athen Rom. 1823—1826. Tabula IX. ubi Hadriani columnae perperam ejus Pantheon vocantur; et Tab. X. ubi Stoa Hadriani (secundum Leakium) minus recte templi Jovis Olympici nomine insignitur.

Poeciles restitutae esse credit, a Leakio ipse refellitur (1).

Hirtius conjecit veri Olympiei aream certe a Pisistrato definitam: sed cogitandum videtur, an pristina area Pisistrati non arctior fuerit; quia templum Thesei Pisistrato recentius (nempe Cimonis) multo erat angustius; et quo antiquiora opera tam architecturae quam sculpturae, eo plerumque magis exigua.

§ 6.

Inter opera a Pisistrato exstructa itidem memoratur fons Enneacrunus (Ἐννεάκρουνος), antiquitus Callirrhoe (Καλλιῤῥόη) dictus, non tam ob operis praestantiam, quam ob utilitatem, quam inde perceperunt Athenienses, quippe, ut ait Pausanias, *φρέατα μὲν καὶ διὰ πάσης τῆς πολεώς ἐστι, πηγὴ δὲ αὕτη μόνη* (2); isque solus qui aquam bibendo aptam praebebat, quum caeterorum salientium aqua in lavationum tantum et aliarum rerum usum adhiberetur (3). Hunc igitur, ut sic aqua ex Ilisso deducta, Atheniensium commodo inserviret, novem instruxit tubulis (4).

Situm ejus quod attinet, si Pausaniae simplicem

---

(1) Leake pag. 121. Stuartium sequitur Braun das alte Athen pag. 92. Leakii opinionem ignorans.

(2) Pausan. Attic. Cap. 14.

(3) Vitruvius VIII, 3.

(4) Pausan, l. c. Ad diligentiorem quoque fontium, in primis Enneacruni, notitiam pertinet procul dubio quaestio; *quomodo aquae copia in Athenarum urbem induceretur?* tractata ab Hawkinsio in Topography of Athens in Walpole Memoirs pag. 517.

sequamur narrationem, nulla aliorum scriptorum habita ratione, inde colligas fuisse in parte occidentali urbis; quum contra in ipsa esset parte meridionali versus orientem, ut Thucydides satis justa ostendit disputatione (1): quod nimirum fuerit in ea parte, quae incolis primum frequentata est, et ubi antiquissima fuere templa, ut Jovis Olympii, Apollinis Pythii et Bacchi Lenaei: quod fuerit prope ripam Ilissi: quod denique etiam nunc fons nomine antiquissimo insignitus in vicinia hujus fluvii repertus sit (2).

Anno 1676, nam haec addere supervacaneum non credimus, dum Spon et Wheler gravissimus uterque antiquitatis perscrutator, antiqua monumenta investigandi studio, Atticam regionem peragrarent, duo ibi reperti sunt fontes et aliquot domus paululum infra peribolum Olympii, qui locus etiam tunc vocabatur Calliroi, et quorum fontium alter fluentem aquam continuisse videtur: at paucis annis post, effossione facta, manifesto apparuit aquae cursum fuisse a septemtrione, et conjunctum cum Ilissi alveo (3). His igitur inter se collatis nullum fere dubium relinquitur, quin hic idem sit fons, quem Pisistratus novem tubulis instruxerit.

---

(1) Thucydid. III, 15.
(2) Leake l. l. pag. 45 seq.
(3) Leake pag. 47.

§ 7.

Inter sapientiae laudes, quibus celebratus est Hipparchus, haud mediocris profecto existimanda est illa, qua Athenienses in rure degentes, agrestique adhuc vitae rationi deditos, quum in urbe hoc jam fecisset, meliores reddere, atque excolere conaretur. Quod quomodo fecerit, exemplo sint statuae mercuriales sive Hermae quadrati inscriptionibus ornati, quos in urbe et passim in viis poni jussit. Harum statuarum ejusmodi fuit forma ut in utraque Hermae parte duae reperirentur inscriptiones, elegiaco metro plerumque comprehensae, quarum altera (sinistra) rationem, cur posita esset, reddebat: altera (dextra) hoc vel illud, quod rustici ante oculos haberent, inscriptum spientiae praeceptum continebat (1). Duo ejusmodi nobis exhibet Hermas auctor Dialogi Hipparchi, qui vulgo Platonis nomine fertur:

» Μνῆμα τόδ' Ἱππάρχου· μὴ φίλον ἐξαπάτα."

Alius qui prope viam Steriacam erat, eâdem insignitus erat inscriptione. Recentiori etiam tempore, (quod hic monendum) a Fourmontio repertus est Herma inscriptione hic illic obscura, medio urbem inter et Demum Thriensem positus, quem Boeckhius pro sua

(1) Auctor Dialogi Hipparchi pag. 228. C. D.

industria ad perspicuitatem redegisse videtur. Est hexameter restitutus hujusmodi:

» Ἐν μέσσῳ γε Θρίης τε καὶ ἄστεος, ἀνερ ὅθ' Ἕρμης."

quum pentameter, affirmante Boeckhio, ex eo genere fuisse videtur, quales affert auctor Dialogi, quosque modo laudavimus (1).

Etiam hic institui possit disquisitio de nummis Atheniensibus, vasibus pictis et multis aliis, quae ad aetatem Phidia antiquorem referantur: sed quum ad definiendam aetatem, si quis exactissimas temporis notas postulet, valde lubricum relinquatur judicium; hic eam omittere potius, quam temere exponere, nobis visum est (2).

(1) Boeckh. Corp. Inscription. I. n. 17.

(2) Nuper horum aetatem definire conatus est Millingen Ancient Uned. Monum. Tom. I. pag. 5 seq., sed adversarium nactus est Gerhard Antik. Bildwerk. pag. 118 et 126. not. 10.

TANTUM.

THESES.

I.

Pisistratus, etsi a plerisque tyrannus habetur, tyranni nomine (quod nos intelligimus) minime dignum esse contendimus.

II.

Caussa, quae Pisistratidarum dominationi finem fecit, non in Hipparchi caede ab Harmodio et Aristogitone patrata; sed in perpetuis Atheniensium factionibus quaerenda videtur.

III.

In judicanda factionum natura, quae Solonis tempore fervebant Athenis, Herodoti I, 59. potior ratio est habenda, quam Plutarchi Solon. Cap. 29.

I V.

I V.

Hippiam Pisistrati fuisse filium natu maximum defendimus.

V.

Conditio Literarum tempore Pisistratidarum ita fuit comparata, ut jam ex ea, quid Graecia aliquando in literis praestare posset, appareret.

V I.

Sophocles in Electra non Agamemnonis caedem ultione dignam, sed infelicis regis infelicem filiam, tragoediae argumentum sibi proposuit.

V I I.

Epistola Hippocratis Lacedaemonii, quam Xenophon inseruit Hellenicorum Lib. I. Cap. 1. non ad metrum Choliambicum est redigenda. Verba sunt: Ἐῤῥει τὰ καλά. Μίνδαρος ἀπέσσουα· πεινῶντι τὤνδρες· ἀπορέομες, τί χρὴ δρᾷν.

V I I I.

Quae de M. Attilii Reguli morte plerique Scriptores memoriae tradiderunt, ad fabulas referenda esse censeo.

I X.

Horatii locum A. P. vs. 275.

» *Ignotum tragicae genus invenisse Camoenae*
» *Dicitur et plaustris vexisse poemata Thespis.*"

cum Bentlejo aliisque de Comoedia explicatum nolimus.

X.

Horatii Oda XXVII. Lib. I. non est dialogus Archytae cum nauta, sed omnis sermo tribuitur soli Archytae.

X I.

Quinctilianum Institut: Orator: X, 1. in veterum Scriptorum censura aequi peritique judicis partes egisse contendimus.

X I I.

Eorum sententiam, qui in Quinctiliani verbis Instit. Orator. X, 1. pag. 914 edit. Burm. » Superest adhuc, et exornat aetatis nostrae gloriam, » vir seculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. » Habet amatores, nec » imitatores, ut libertas, quamquam circumcisis » quae dixisset, ei nocuerit. Sed elatum abunde » spiritum et audaces sententias deprehendas etiam » in iis, quae manent." — Tacitum respici volunt, multis obnoxiam esse difficultatibus contendimus.

XIII.

Errat Ernestus in Glossario Liviano Lib V. Cap. 3. » Sic Tribuni, tanquam artifices improbi, opus » quaerunt: qui et semper aegri aliquid esse in » Republica volunt, ut sit ad cujus curationem a » vobis adhibeantur:" dicens artifices istos esse medicos lucri cupidos.

XIV.

Quod ex Cod. Guelpherbytano innotuit fragmentum Cornelii Nepotis de Historicis Latinis. » Non » ignorare debes, unum hoc genus Latinarum Li» terarum adhuc non modo non respondere Grae» ciae, sed omnino rude atque inchoatum morte » Ciceronis relictum. Ille enim fuit unus, qui po» tuerit, et etiam debuerit historiam digna voce » pronuntiare: quippe qui oratoriam eloquentiam » rudem a majoribus acceptam perpoliverit, phi» losophiam ante eum incomtam Latinam sua con» formaverit oratione. Ex quo dubito, interitu » ejus utrum respublica, an historia magis doleat." hoc fragmentum jure huic scriptori vindicavit Jacob. Fred. Heusingerus.

ERRATA OPERARUM.

Pag. 2	*lin.* 16	universos.	*lege*	universas.
2	— 26	*καθισταντο*	—	*καθίσταντο.*
7	— 8	*κυρίας*	—	*κυρίας ἀρχάς.*
14	— 11	exiliumque.	—	exsiliumque.
26	— 15	*διa*	—	*διὰ*
26	*not.* 1.	Aristoteles Politic. V, 5.	—	Aristoteles Politic. V, 4. § 1.
37	*lin.* 16	primum	—	primam.
40	— 20	*Θαργήλια* (2)	—	*Θαργήλια* (3)
40	— 25	Hadrianus (3)	—	Hadrianus (4).
46	*not.* 1.	Me ursius amque	—	Meursius eamque.
75	*not.* 1.	post *jusserit* excidit: vid. Thes. 20.		
77	*lin.* 15	Musai	—	Musaei
80	— 23	*'Ιασονος*	—	*'Ιάσονος.*
97	*not.* 1.	post *significationem* excidit.		Cf. Bentlejus de Origine Tragoediae passim.
109	*lin.* 6	literarum	—	literae
117	— 14	spientiae	—	sapientiae.